DECLARATIO
JURIUM
SOCIETATIS JESV,
QUÆ
IN REGNO
HVNGARIÆ,
Atq; etiam
TRANSYLVANIA
Habet,
Ad Bona Stabilia poſſidenda.



VIENNÆ AUSTRIÆ,
Typis Matthæi Coſmerovij, Anno M.DC.XLVI.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPVT I.

De Origine Juris Patrum Societatis Jesv, ad Bona ſtabilia, in Regno Hungariæ poßidenda. pag. 1.

CAPVT II.

De Origine Juris Patrum Societatis Jesv, ad Bona ſtabilia poßidenda, in Tranſylvania. pag. 5.

CAPVT III.

Quomodo poßint puniri Nobiles in Regno Hungariæ, ſive in perſona, ſive in poſſeßionibus. pag. 6.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IV.

Quâ morum, ac vitæ integritate vixerint Patres Societatis J e s v, *in Regno Hungariæ.* pag. 9.

CAPVT V.

Quomodo Patres Societatis J e s v, *geſſerint ſe Tranſylvania?* pag. 12.

CAPVT VI.

Quinam, & quomodo poſsint condere Leges, & ſtatuta, in Regno Hungariæ? pag. 20.

CAPVT VII.

Quando, & qui Articuli lati ſint contra Patres in Regno Hungariæ? pag. 21.

CAPVT VIII.

Probatur Articulos contra Societatem latos, invalidos, & illegitimos eſſe, defectu Conſenſus Regnicolarum. pag. 23.

CAPUT IX.

Probatur eundem Articulum illegitimum eſſe, ex defectu Conſenſus, & acceptationis Regiæ. pag. 25.

CAPUT X.

Qualiter Reges Hungariæ univerſi, à tempore conditi contra Patres Articuli, usq; ad modernam Sacratiſsimam Cæſaream Regiamq; Maieſtatem, inhæſerint Iuri huic Regio, in ordine ad Societatem. pag. 30.

CAPUT XI.

Quòd Proceres quoq; Regni Hungariæ novis Fundationibus factis, jus Societatis illibatum demonſtrârunt. pag. 34.

CAPUT XII.

Solvuntur nonnullæ Objectiones adverſariorum. pag. 37.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

In quo oſtenditur Societas legitimè intraſſe in Bonorum ſtabilium poſſeſsionem, per Regiam Collationem. pag. 43.

CAPUT XIV.

Reclamatio, & Proteſtatio Status Eccleſiaſtici contra Articulum aduerſus Societatem latum Anno Domini 1608. pag. 47.

CAPVT XV.

Supplicatio Statuum, ac Ordinum Regni Catholicorum, in Cauſa Patrum Societatis Iesv, Sacræ Regiæ Maieſtati porrecta. pag. 50.

CAPUT XVI.

Copia Memorialis ad Ampliſsimos Status, & Ordines Inclyti Regni Hungariæ, à Reuerendo Patre Petro Pazmany, Societatis Iesv Sacroſanctæ Theologiæ Doctore, conſcripti. pag. 55.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Breve Apoſtolicum Sanctiſſimi Domini Noſtri Pauli Papæ Quinti, ad Matthiam Hungariæ Regem. pag. 62.

CAPVT XVIII.

Quomodo Præpoſitura Thurocienſis, Societate Bonis ſpoliatâ, collata ſit Franciſco Cardinali Forgach, Archiepiſcopo Strigonienſi. pag. 63.

CAPVT XIX.

Regales literæ, quibus ad publica Regni Comitia Patres Societatis Iesv, tanquam vera, & legitima Regni Hungariæ membra vocati ſunt; non obſtantibus Articulis contra eoſdem latis. pag. 67.

CA-

CAPUT XX.

Literæ Imperatoris Ferdinandi Secundi ad Archiepiſcopum Strigonienſem. pag. 73.

CAPVT XXI.

Reſtitutionales, & novæ Donationales Ferdinandi Tertij Imperatoris. pag. 75.

Concluſio.

Digitized by Google

DECLARATIO Jurium Societatis JESV, QVÆ IN REGNO HUNGARIÆ, ATQVE ETIAM TRANSYLVANIÆ HABET, AD BONA STABILIA POSSIDENDA.

CAPUT I.

De Origine Juris Patrum Societatis JESU, ad Bona Stabilia in Regno Hungariæ poſſidenda.

VEnerunt Patres in Regnum Hungariæ, non clancularié, nec violenter ſemet intrudendo, verùm Clementiſſimâ Regum invitatione, publicâque Regni totius auctoritate, Domicilijs, Boniſque ſtabilibus, juxta an-

Digitized by Google

tiquas, ac receptas Regni Conſuetudines, nullo prorſus hominum contradicente,id eſt, ſummo (quod in Hungariâ habetur) poſſeſſionum jure,ſunt donati.

Fixêre autem primùm pedem, volente Imperatore Ferdinando Primo, in Liberâ Regiâque Civitate Tyrnavienſi; in quâ,acceptâ pro habitatione Domo illâ, quam, poſtea, abeuntibus (ut mox referam) Tyrnaviâ Patribus, necdum ex integro abſolutã,ſuis adaptavit uſibus Nicolaus Telegdinus; nuper verò, quaſi poſtliminio, ſingulari juventutis Hungaricæ commodo, (quæ nunc ſub eorundem Patrum diſciplinâ,ad omne Chriſtianæ pietatis æquè, ac doctrinæ genus inſtituitur) ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Joanne Telegdi Archiepiſcopo Colocenſi, &c. Societati eſt reſtituta, ac novâ inſuper munificentiâ non exiguo ære ampliata eſt,& adornata.

In hac ergo Civitate, evocatis,à Patre Joanne Victoriâ, per id tempus Præpoſito Provinciali Auſtriæ,diverſis Divinâ humanâque eruditione Viris Ordinis ſui præſtantibus, ſub annum Domini 1561. AcademicasLectiones publicè legere cœperunt Patres; quod ut abſque impedimento præſtare poſſent, in perſonarum ſuſtentationem,contulit Imperator Abbatiam Zeplakienſem, & in Collegij quoque erectionem certos quotannis proventus deſtinavit.

Verùm non diu potuêre Patres optatum Academiæ huius curſum tenere; unde non multò poſt,urgentibus cauſis ita exigentibus, Domicilio, ijs à quibus acceperant ſpontè ac voluntariè reſignáto,ceſſerunt Tyrnaviâ. cùm ecce Illuſtriſſimus,& Reverendiſſimus Stephanus Radetius, Epiſcopus Agrienſis,nec non Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis in

Hun-

Hungariâ Locumtenens, idéq; Thurocienſis Præpoſitus, moritur; & alter, Illuſtriſſimus itidem & Reverendiſſimus Georgius Draskovitius, Tridento redux, (ubi Sacro Patrum Concilio Legatus interfuerat) à Summo Pontifice, S. R. E. Cardinalis nominatur: Hic cùm Viennæ in æde Divæ Annæ, ipſo feſto S. Ioannis Baptiſtæ, ab fel: rec: Imperatore Rudolpho, Galerum accepiſſet, Anno videlicet 1584. ſecundùm prandium, quod cum Cæſare ſumpſerat, primæ gratiæ nomine, id ab eo demiſsè poſtulavit, ut Patribus Societatis Jesu, (quorum cum ſingulari Religione doctrinam, partim ipſe ſpectaverat Tridenti, partim ab alijs variarum gentium Legatis intellexerat,) Præpoſituram Thurocienſem, per dicti Stephani Radetij obitum legitimè vacantem conferret; ipſoſque Patres in Hungariam Cæſareâ Regiâq; authoritate reponeret. Vix finivit pro Societate Orationem Cardinalis, cum Imperator clementiſſimè petitioni annuit, & impetrato Gregorij XIII. tunc Summi Pontificis conſenſu, Anno poſtea 1586. die 19. Menſis Maij, dictam Præpoſituram Turocienſem cum omnibus Bonis ad eandem ſpectantibus contulit: quemadmodum id videre erit ex Literis Fundationis ad finem Tractatus huius apponendis. Atque ita in prænominatam Præpoſituram Societas, nullo penitus hominum contradicente, quin imò univerſis Regni Statibus, ac Ordinibus Collationem Regiam tanquam legitimam approbantibus inducta eſt: id quod manifeſtè apparet ex Articulo 35. Anni 1599. in Comitijs Generalibus edito, qui ſic ſe habet.

AD Supplicationem Comitatus Thurocz, & cæterorum vicinorum Comitatuum, ea de re, ſæpiùs, Suæ Maieſtati, tum etiam

 ipſis

ipſis Statibus, ac Ordinibus factam, decretum eſt, ut Conventus B. MARIÆ Virginis de Thurocz reſtauretur, ac reformetur; ac Patres Societatis JESU, qui eam Præpoſituram nunc poſſident, quatuor ſeculares Sacerdotes cum Notario, ibidem teneant, qui Executionum & Expeditionum literarum curam habeant, non autem ipſi Patres Jeſuitæ: erunt tamen præfati Comitatus adiumento ipſis Patribus, in inſtauratione, & reædificatione Clauſtri, & Conſervatorij illius, quantum poterunt. Ita Articulus.

EX quo manifeſtè jus Societatis legitimum apparet. fatentur enim Status, ac Ordines, à Patribus *poſſideri*, utique legitimè, Præpoſituram Thurocz ienſem, in quam ſi vel reclamantibus Statibus fuiſſent introducti, vel præter viam Juris occupaſſent, nunquam poſſeſſionem eorundem ita ſimpliciter, & abſolutè confeſſi fuiſſent; multò minùs poſtulaſſent, ut ijdem, quatuor Sacerdotes cum Notario intertenerent; tantum abeſt, ut etiam ultrò ac ſpontè, Patribus ipſis auxilia pro Clauſtri, & Conſervatorij reſtauratione, Comitatus à Religione Catholica alieni offerrent. Quare in aperto eſt Patres Societatis IESU, legitimè, ac viâ Regiâ, Regiâ inquam, Statuumque ac Ordinum Regni omnium, auctoritate, & conſenſu inductos eſſe in Hungariam; & (quod inde ſequitur) Bona quoque Stabilia à Regibus ipſis collata legitimè poſſediſſe.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Origine Juris Patrum Societatis JESU, ad Bona Stabilia poſſidenda in Tranſylvania.

QVantùm attinet ad Tranſylvaniam, fuit Societas Iesu introducta primùm à Principe Stephano Bathoreo, poſtea Poloniæ Rege Sereniſſimo. hic Patribus, Abbatiam Monoſtorienſem contulit, cum adiunctis pagis, quos iam tempore Iſabellæ, nec non filij eiuſdem Ioannis Secundi, Fiſco applicatos, ſed poſtmodum denuò alienatos, proprijs pecunijs, ne cuiquam injuria fieret, Princeps redemerat. Porrò cùm Rege Stephano, ac fratre quoque Chriſtophoro demortuis, Anno 1588. Magiſtratus ex integro Acatholicus, qui ob immaturam Sigiſmundi ætatem, Provinciam gubernabat, eidem poſtea pueritiam aliquantùm egreſſo, ac adminiſtrationem Provinciæ ſuæ ſuſcipere cupienti, aliâ conditione gubernationem reſignare penitùs non vellet, quàm ut in expulſionem Societatis ex Tranſylvania conſentiret; annuit ille tunc quidem, licèt ægrè, coactus nimirùm metu, etiam in conſtantem virum cadente, videlicet ne Provinciâ privaretur: paſſuſque eſt Patres exceſſe Provinciâ. Verùm ſtatim ac fixum in Regno pedem habere ſe ſenſit, eoſdem ad ædes veteres revocavit, noviſque fundis ac Bonis auxit; accedente conſenſu, & auctoritate Comitiorum Generalium ſub Annum Domini 1596. Albæ Iuliæ celebratorum, in quibus univerſæ Provinciæ votis, ac calculis honorificè revocata, ac reducta eſt Societas; quam

revocationem, ac reductionem ſubſequentia quoque Comitia Generalia, Anno 1599. celebrata, iteratò confirmarunt: quemadmodum id publica ipſius Provinciæ monumenta atteſtantur.

CAPVT III.

Quomodo poſſint puniri Nobiles in Regno Hungariæ, ſive in perſona, ſive in poſſeſſionibus.

SCiendum eſt per Nobiles, cùm de Privilegijs Nobilitaribus agitur, intelligi Vniverſos Dominos (Verba ſunt primæ partis Tripartiti titulo 9.) Prælatos, Barones, cæteroſq; Magnates, & alios Regni hujus Proceres, qui unâ, ejuſdemque libertatis prærogativâ ſemper muniuntur. Habent hi præter alia plurima, præcipuè tamen quatuor Privilegia, quæ præfato titulo 9. primæ partis recenſentur, & ad quæ ſingulariter obſervanda, peculiari Sacramento, omnes, & ſinguli Reges Hungariæ tempore Coronationis ſuæ ſpecialiter ſe obligant. Ex his ſic ſonat

Privilegium Secundum,

SEcunda libertas, eſt, quòd Nobiles totius Regni, nullius, præterquàm Principis, legitimè (ut prætactum eſt) Coronati, ſubſint

ſint poteſtati. Et ipſe quoque Princeps Noſter, ad ſimplicem querelam, & ſiniſtram ſuggeſtionem alicujus, neminem eorum, præter viam Juris, & alterâ parte non auditâ, in perſona, vel rebus ſuis, ordinariâ auctoritate impedire poteſt. Hoc Privilegium translatum poſtea eſt in Decreta Andreæ Regis hoc Nomine Secundi, cognomento Hieroſolymitani; ad quæ obſervanda, (ut habetur Privilegio quarto) quilibet Regum Hungariæ, priuſquam ſuum caput Sacro Diademate coronaretur, ſacramentum præſtare ſolet; & continetur Decretorum ejus, articulo ſecundo, eſtq; talis.

Decretorum Andreæ II. Artic: II.

VOlumus autem, quòd nec Nos, nec Poſteri noſtri, aliquo tempore, Servientes (ita vocabantur Nobiles) capiant, vel deſtruant favore alicuius potentis, niſi primò citati fuerint, & Ordine Judicario convicti.

Hic Articulus Andreæ Regis cum cæteris ejuſdem Decretis, ſigillo aureo roboratus, & pro æterna memoria, in diverſis autenticis locis repoſitus eſt, voluntate ipſius Regis, quam expreſſit ultimo Decretorum ſuorum Articulo, cujus tenor eſt iſte.

Andreæ

Digitized by Google

Andreæ Regis Artic: XXXI.

ET ut hæc Noſtra, tam conceſſio, quàm Ordinatio, ſit Noſtris, Noſtrorumq; Succeſſorum temporibus in perpetuum valitura, eam inſcribi fecimus in ſeptem paria literarum, & aureo Sigillo Noſtro roborari; ita, quòd unum par, mittatur Domino Papæ, & ipſe in Regeſto ſuo ſcribi faciat; Secundum penès Hoſpitale; Tertium penes Templum; Quartum apud Regem; Quintum in Capitulo Strigonienſi; Sextum in Colocenſi; Septimum apud Palatinum, qui pro tempore fuerit, reſervetur: ita, quòd ipſam Scripturam præ oculis ſemper habens, nec ipſe deviet in aliquo prædictorum; nec Regem, vel Nobiles, ſeu alios conſentiat deviare: ut & ipſi gaudeant ſuâ libertate, ac propter hoc Nobis, & Succeſſoribus, ſemper exiſtant fideles; & Coronæ Regiæ obſequia debita non negentur.

Ex his conſtat neminem Nobilitari Jure gaudentem, ſive in perſona, ſive in Bonis puniri poſſe ſinè crimine, imò etiam patrato crimine, non aliter, niſi priùs legitimè citetur ad forum, & Judicem competentem; citatus, audiatur, & convincatur. Idem etiam Statutum fuit in Pacificatione Viennenſi De Plenipotentia Gubernatoris; videlicet,

Vt Do-

Digitized by Google

Vt Dominus Gubernator, ad nullius querelas, quantumvis enormes, neminem impediat, ſed querulantes ipſi, ſuas injurias Iuris ordine proſequantur; & nemo niſi legitimè citatus, & juris ordine convictus puniatur.

CAPUT IV.

Quâ morum, ac vitæ integritate vixerint Patres Societatis JESV in Regno Hungariæ.

Vivunt in Regno Hungariæ Patres Annis Sexaginta, ac etiam diutius. toto hoc decurſu temporis, quod medium ſeculum excedit, quis unquam inventus eſt, qui crimen tale adverſus eoſdem probaſſet, quod Bonorum privationem mereatur? Libenter ac ultro parentes non modò Catholici, ſed & cujuſvis alterius Profeſſionis, Patrum diſciplinæ ſuos ſubjecêre filios; & ſcholis Profeſſionis propriæ avocatos, ad eorum tranſtulère Gymnaſia. nemo fuit qui docendi modum, qui cum juventute dexteritatem agendi, qui inſtitutionem morum non anteferret ſuorum diſciplinæ Præceptorum. Vixerunt adoſcentes, & juvenes ex omni Statuum ac Ordinum genere, cum Patribus, non in aperto modò, in Scholis videlicet & Academijs, verùm etiam inter privatos parietes in Convictibus, ac Seminarijs, in Alumnatibus, &c. perſpectas habuêre omnes, & quaſi ſingulas eorundem A-

Digitized by Google

ctiones; quis unquam vel abſoluto Studiorum curſu manu miſſus, aut pro placito ex Convictu egreſſus eſt, qui criminis patrati reos fecit, qui coram tribunali legitimo accuſavit, convicit? Sanè non tacuiſſent adminus ij, quos ob liberioris vitæ rationem, moreſque deſperatos, ab aliorum conſortio, plerũq; invitos expulêre. cur ergo damnari debuit Societas? an quia plures eorum qui ſe aut inſtitutioni Patrum, aut familiariori converſationi tradiderunt, exiguo temporis ſpatio Calvino vel Luthero excuſſis, ad ſuos rediêre Catholici? metuſque non inanis occupare potuit Acatholicorum animos, futurum brevi, ut ſenſim ſine ſenſu, tota in Scholis Patrum convertatur Nobilitas, ac repentè circumſpiciens ſeſe, Catholicam non ſine admiratione agnoſcat Hungaria? Sanè, ſi veritatem confiteri non erubeſcimus, hæc tandem, hæc una eſt cauſa, cur Societatem Acatholici perſequantur. Hanc, alteram ex primis cauſam, diffiteri nō potuit, imò fateri coactus eſt, Princeps Georgius Rakoczi, ob quam exire Tranſylvaniâ, ac arma ſumere coactus eſt: nimirũ, quia Ordo Ieſuitarum omni conatu incumbit in deſtructionem Religionis (ut vocat) Evangelicæ. ita ille in Manifeſto ſuo quod Anno 1644. die 17. Febr: in Præſidio Kálló emanato, ac idiomate Hungarico publicato dedit. Id ſi crimini tribuitur, ſi Notæ Majeſtatis læſæ, ream ſe negare non poterit Societas, ſed fortaſſe nec volet: ad id inſtituti ſui ratione ſentitſe obligatam. At cur non eodem titulo accuſantur Prædicantes, quòd in ſuæ Profeſſionis incrementa, Catholicæ Religionis detrimenta omnibus viribus adlaborant? an quia ſegniores in officio ſunt? laudi ergo, non probro cedit Societatis Patribus, quòd Inſtituti ſui tenaces, nihil à ſe deſiderari

pati-

Digitized by Google

patiantur, quo minus Orthodoxa Religio, à Sancto Stephano, Hungariæ,& Rege primo,& Apoſtolo introducta, vel in ſuo virore maneat, vel ad eandem revertatur juventutem. An quia non pari jure libertatis gaudet Religio Catholica? quin imò longè potiori, utpote inquam ab Origine ſui, damnatâ Gentilitate juravit Hungaria, quæve ſexcentis integris annis alienam à Romana fidem, in Regno ſuo pati non voluit, ſed primùm poſt ſex ſecula, à quadraginta, non multò plus, annis, temporum iniquitate, armis ferroque coacta, ab ingreſſu prohibere veriùs non potuit, quàm voluntariè admiſit; reclamantibus nihilominus Catholicis ex omni Statuum, ac Ordinum genere, univerſis. Sed quibus modis tandem ad ſuſcipiendam Religionem Catholicam uſa eſt hæc IESV Societas? armisné? an potentiâ? Nimis mihi meticuloſus ille ſit, qui ferrum,& arma, qui vim ac potentiam Patrum Societatis pertimeſcat, quibus nimirum nudi, non alio quam Verbo DEI digladiantur.

Manet ergo Patres Societatis, nullius, præterquam Religionis, reos, convinci criminis; quæ quoniam Acatholicis non arridet, Bonis privari, imò Regno expelli meruêre. Sed neque Catholicis placet ſive Helvetica, ſive Lutherana, Profeſſio; quidni ergo & hujus, & illius Confeſſionis Miniſtri eandem ferunt cum Patribus ſententiam, & pariter poſſeſſionibus ſuis privati proſcribuntur? Quid adhoc Acatholici? quid Prædicantes? Verùm de hoc jam ſatis.

Videamus porrò

CAPVT V.

Quomodo Patres Societatis JESV geſſerint ſe in Tranſylvania?

NEmo id libentiùs prodet, quàm qui Bonis, ac Poſſeſſionibus ſpoliari ipſos cupiunt, imò etiam ex Regno expelli. Audiamus.

Ex Tranſylvania quater expulſi ſunt Societatis Patres. Primò, ſub Sigiſmundo Bathoreo, qui, (ut ſup. memini) puer penè, metu perdendi Imperij, coactus, permiſit veriùs quàm conceſſit, ut Patres Tranſylvaniâ abeſſent. Secundò, exire juſſi ſunt ſub Moyſe Siculo, Religione Arriano, qui ut faciliùs rerum potiretur, Claudiopolitanis poteſtatem fecit diripiendi Collegium, vaſtandi, Patres ipſos eijciendi, mactandi &c. quemadmodum etiam, quaſi intra momentum temporis, factum eſt, Anno 1603. die 9. Junij. Tertiò, Stephano Bochkaio inſurgente, qui tantò Religionis Catholicæ odio accenſus flagrabat, ut negaret ſe dominari poſſe niſi Catholicis extinctis. Vnde cùm Medgyeſſini Comitia celebrarentur, ſtimulantibus etiam Principem Superintendentibus Arrianorum, effecit, ut Decretum, de tollenda Societate, conderetur. Quia verò Proceres, re meliùs perpensâ, & Patrum innocentiam, & adverſariorum concitatum in eoſdem odium deprehenderunt, pœnitentiâ ducti, Decretum lacerârunt, & Patres, loco, quo ſteterant, manere juſſi ſunt. Quartò denique gubernante Sigiſmundo Rako-

Rakoczio, è Tranſylvania proſcripta eſt Societas, edito contra illos articulo, qui ſic ad verbum habet:

Articulus de Societate eijcienda ex Tranſylvania.

DE Religione ſic deliberauimus, ut juxta Articulos antea editos, omnes in ſua Religione ſine impedimento conſerventur; ſed Societatis IESV ſecta, è Ditione Illuſtriſſimi Principis excedat.

Hæc Comitiorum Articulus.

At quô Crimine? explicet nobis cauſam, ipſe Princeps Sigiſmundus, in datis ſuper ea re literis Anno 1607. 26. Iunij, quarum tenor, ad verbum, eſt iſte:

Nos Sigiſmundus Rakoczi
Dei gratiâ Princeps Tranſylvaniæ, Partium Regni Hungariæ Dominus, & Siculorum Comes &c.

SIgnificamus tenore præſentium, quibus expedit uniuerſis, Quòd cum ſuperioribus diebus, Reverend: Dominus Ioannes Argentus, Societatis IESV, anteà in Tranſylvania Provincialis, in hoc Regnum Tranſylvaniæ, eam ob cauſam veniſſet, ut à Nobis, & ſubditis noſtris, in dicto Regno Noſtro Tranſyluaniæ,

Digitized by Google

& partibus Hungariæ, ditioni Noſtræ ſubjectis, impetraret in priora Reſidentiæ loca, olim à D. Stephano Rege Poloniæ, Magno Duce Lituaniæ, ac Principe tunc memorati Regni Trāſyluaniæ, fundata, ſimul cum reliquis Patribus ac Magiſtris ejus Ordinis, regredi liceret, eam rem in Comitijs Generalibus, Claudiopoli, ad decimam diem Menſis Iunij, præſenti Anno celebratis, diu, multumq; agitatam, numero, & multitudine, Catholici, ab aduerſarijs eorum ſuperati, conſequi non potuerunt. Vnde Nos præſentibus Noſtris teſtificamur, eoſdem Patres Societatis IESU, ut bonos, & morum integritate graues viros, ex ſuis Collegijs, Boniſque, non ob ullum delictum, aut notæ alicujus vitium, verùm ad inſtantiam Romanæ, & Catholicæ fidei, contrariam opinionem ſequentium, eſſe deturbatos, & excluſos, & in alia loca demigrare coactos. prout teſtificamur, harum Noſtrarum vigore, & teſtimonio literarum mediante. Datum in Civitate Noſtra Coloſuar, die 26. Iunij 1607.

Non egeret alio teſtimonio Patrum integritas, cùm luculentius dari vix poſſit; ſed neque credibilius, cùm ab ipſomet Societatis perſecutore ſit traditum. ne tamen Catho-

Digitized by Google

tholici ad hanc adeò manifeſtam Patribus illatam injuriam tacuiſſe videantur, adjungam Status Catholici univerſi, his ipſis Comitijs præſentis, ſolennem Proteſtationem, quam contra editum adverſus Patres Societatis Articulum ipſo Comitiorum tempore fecerunt; eſt hujuſmodi:

NOs ſubſcripti, in unitate fidei Catholicæ Romanæ Eccleſiæ conſentientes, Regni Tranſyluaniæ, partiumque eidem adnexarum, tum incolæ, tum in eadem, ijſdemque poſſeſſionati, ad uniuerſorum, tam præſentium quam futurorum notitiam, harum ſerie, volumus peruenire. Quòd Nobis, unâ cum alijs Sectarijs, puta, Lutheranis, Caluiniſtis, & Arrianis, alijſque priuatæ opinionis aſſertoribus, non definiendæ Religionis vel ad exterminationem Societatis IESV, verùm pro tractandis alijs cum priuatis, tum publicis Regni negotijs, huc Claudiopolim, ad Generalem Diætam Congregatis, Reuerendus Pater Ioannes Argentus, ejuſdem Societatis IESV Sacerdos, & in hac Tranſyluania Vice Prouincialis, qui non ita pridem, à Sereniſſimo Principe, Stephano Bochkai, proprio arbitrio, abſque Regnicolarum conſenſu, violenter, è Bonis proprijs, & ſtabilibus Reſidentijs, cum ſocijs alijs eiectus

fue-

Digitized by Google

fuerat, defendendæ propriæ innocentiæ causâ; &interuenientibus etiam Commendatitijs Sereniſſimi Prjncipis, & Domini, Domini Matthiæ Archiducis Auſtriæ &c. juxta mentem Sacræ Majeſt. Cæſ: emanatis, coram ſtatibus, & uniuerſis Ordinibus hujus Regni, in Templo Arrianorum, ad longum auditus fuiſſet, ſuique aduentus cauſam, innocentiam, Doctrinæ veritatem, morum integritatem, abundè demõſtrando, juſtitiam imploraſſet; & ſi qui eſſent, qui his contrarium, tum rationibus, tum veris teſtibus docerent, prodire flagitaſſet; id ipſumque Nos omnes Catholici, ab Aduerſarijs, contra Patres Societatis tantùm mutuâ conſpiratione unitis, poſtulaſſemus, quò videlicet, indictâ causâ, nullis teſtibus conuicti, è proprijs Sedibus, & Bonis, Patres Societatis, non modò non exturbarentur, verùm contra omnem æquitatem, à Sereniſs. Stephano Bochkai ejecti, ſuis locis, Iuribus, & liberis Catholicæ Religionis Exercitijs, reſtituerentur. Vbi Aduerſarij, ſe cauſam deſperatam tueri, nec rationibus, aut æquitate quicquam ſe conſequi poſſe animaduertiſſent, obſtinatâ pertinaciâ, & tumultuario clamore in id conſenſiſſent, ut Patres Societa-

tis,

Digitized by Google

tis, ex hac Prouincia penitus eliminarent: cui ſententiæ, uti contra æquitatem, & communem Iuſtitiam, quæ ſua cuiq; reddi, nec quenquam inauditum, non conuictum, non ſententiatum, damnari ſuo Iure poſtulat, ſubſcribere haud potuimus; verùm nomine omnium Noſtrum, tam præſentium, quàm abſentium Catholicorum fratrum Noſtrorum, Succeſſorumque Noſtrorum, de hac indigna, inaudita, Juribuſque Regni contraria ſententia, in publica Diæta, tam coram uniuerſis contrarijs Statibus, & Ordinibus Regni, quàm coram ipſomet moderno Principe Noſtro, Illuſtriſſimo Domino Sigiſmundo Rakoczi, adjunctiſque Conſiliarijs ejuſdem, ſolenniter proteſtati, eidem contradicimus; nunquam huic ſententiæ, Patrumque Societatis IESV ejectioni, Bonorum, Juriumq; eorundem ablationi conſentire volentes: ſiquidem, à pijs, legitimiſque hujus Regni Principibus, Fundationes ſuas, Priuilegia ſua, Confirmationeſve habeant: neque alicujus, vel leviſſimi criminis, cur ea de Jure amittere potuiſſent, unquam convicti fuiſſent: prout contradicimus præſentium per vigorem. Datum Claudiopoli 20. Junij, Anno Do-

mini, Milleſimo, Sexcenteſimo Septimo.

Franciſcus Daroczi de Deregnyeö, Sac: Cæſar: & Regiæ Majeſtatis Conſiliar.
Balthaſar Kornis, Conſil: Illuſtriſsimi Principis.
Balthaſar Zylvaſi, Conſ: Illuſtriſsimi Principis.
Lucas Trauſner Coloſuarius de Hodrew, Illuſtriſsimi Principis Conſ: & in Sede Iudiciaria Præſidens.
Sigiſmundus Kornis de Ruska.
Benedictus Mindſzenti, Comes Comitatus Doboc:
Sigiſmundus Sarmaſaghij, Comes Comitatus Tordens.
Pancratius Sennyey.
Stephanus Huſſar.
Petrus Banfi de Loſoncz.
Ioannes Kalnaki.
Clemens Beldi.
Blaſius Kamuthij de eadem.
Georgius Bornemiſſa, Iuris utriusq; Doctor, & Sedis Iudiciariæ Illuſtriſsimi Principis Aſſeſſor.
Paulus Forro, Sedis Iudiciariæ Aſſeſſor.
Simon Lodij.
Paulus Koncz.
Georgius Nagy.
Melchior Beſſenyey.

HÆc Proteſtatio, priùs ſolenniter facta eſt, in publico Ordinum omnium, ac Statuum conſeſſu, tum coram

Digitized by Google

ram Principe ipſo, ejuſdemque Senatu uniuerſo: demum ad perpetuam rei memoriam, ſcripta, inque innocentiæ Societatis teſtificationem, Iuriumque ejuſdem conſervationem, ſingulorum manu, ac ſigillo firmata, Patribuſq; tradita, in hodiernum diem, in eorundem Archivio conſervatur.

Hoc ergo fuit de Patrum Societatis vitâ, moribuſq; judicium, hæc in Hungaria, æquè ac Tranſylvania exiſtimatio, unde Rex Stephanus nihil æquè in votis habuit, quàm ut ex fratre nepoti Sigiſmundo, quem in Provincia ſucceſſorem conſtituerat, adeſſet ſemper aliquis ex Patribus, à quo & pietatem, & dignos Principe mores, unà cum literis addiſceret. hinc etiam moriturus, in teſtamento, quod ultimâ manu conſcripſit, Societatem, non minùs quàm Patriam, quàm animæ ſuæ curam Sigiſmundo commendavit. Ad te redeo (verba ſunt teſtamenti Converſo ad nepotem ſermone) chariſſime nepos, Princeps Tranſylvaniæ, Sigiſmunde Bathoree, tibique inprimis Collegium (Societatis IESV) Claudiopolitanum, & Albenſe lego; & committo: quæ Collegia, Pater tuus, & ego, fundavimus proprijs ex facultatibus Noſtris, ſine cujuſquã injuria; quę ita tuearis, & defendas, quatenus animæ tuæ, Patriæque cui præes, ſalus tibi cara eſt.

Quæ ſi ita ſunt, quemadmodum ut ante memini, ipſimet Societatis adverſarij atteſtantur, apparet ſanè Patres Societatis vitæ integerrimæ, ſceleriſque puros tam in Hungaria, quàm Tranſylvania vixiſſe. Cur illis ergo Bona ad-

empta volunt, cur Regno abeſſe deſiderant Adverſarij? ita publico Regni totius edicto ſtatutum eſt: Videamus

CAPVT VI.

Quinam, & quomodo poßint condere Leges, & Statuta in Regno Hungariæ.

AD majorem intelligentiam quo Iure Patres Societatis privati ſint Bonis ſtabilibus quæ poſſederunt, & in futurum etiam ad eadem poſſidenda incapaces facti ſunt,

Sciendum eſt. Vt Statutum aliquod in Regno Hungariæ vim Legis obtineat & validum ſit, duo eſſentialiter requiri. Primò, Aſſenſum unanimem populi, ut jura loquuntur. Secundò, Acceptationem, & approbationem Regis Legitimè Coronati; adeò, ut ſi alterutrum deſit, ſtatutum tale, vim nullam habeat, & invalidum cenſeatur.

Probatur id. ex part. 2. tit. 3. qui de Principe quidem, ſeu Rege ita loquitur:

Princeps, motu proprio ſeu abſolutè, potiſſimùm, ſuper rebus juri Divino, & naturali præjudicantibus, atque etiam vetuſtæ libertati totius Hungaricæ Gentis derogantibus, Cōſtitutiones facere non poteſt; ſed accerſito, interro-

Digitized by Google

terrogatoque Populo, ſi eis tales Leges placeant, anne? qui cum reſponderint, quòd ſic, tales poſtea Sanctiones, (ſalvo ſemper Divino, naturalique Jure,) pro Legibus obſervabuntur.

De Populo verò ſubjungit:

Plerumque autem & Populus ipſe, nonnulla, quæ ad publicum bonum conducere arbitrantur, unanimi conſenſu decernit, in ſcriptiſque Principi porrigit, ſupplicans ſuper illis, Leges ſibi ſtatui: & ſi Princeps ipſe, ejuſmodi ſanctiones acceptaverit, & approbaverit, tunc vim Legis pari modo ſortiuntur; & de facto, pro Legibus reputabuntur.

CAPUT VIII.

Quando, & qui Articuli lati ſint contra Patres in Regno Hungariæ.

FVit Societas in pacificâ Bonorum ſuorum poſſeſſione, per Annos penè viginti, donec tandem tempore tumultus Bochkajani, inter Articulos pacis Viennæ conditos, contra jus & fas omne, contra eandem ſcriptus eſt in numero octavus Articulus, in hæc verba:

Articulus VIII. Pacificationis Viennen: Anni 1606.

HUngari non conſentiunt, quòd Jesuitæ in Regno Hungariæ, Jura ſtabilia, & Poſſeſſionaria habeant: Sua tamen Majeſtas juribus ſuis inhæret. Quoad Clauſulas Donationalium, fiant Donationes, juxta Decreta Regni, & more antiquitus ſtatuto.

Hic Articulus, biennio poſt, Anno videlicet 1608. denuò eſt confirmatus, & taliter ſonat:

Ad Octavum.

HIc quoque Articulus de Iesuitis, in vigore ſuo permanet, nimirum, ut ipſi nulla in Regno Hungariæ Bona ſtabilia, & Poſſeſſionaria habere, & poſſidere valeant.

Qui itidem compluribus ſubſequentibus Diætis Generalibus, eſt repetitus. Videndum nunc quantum illi Juribus Societatis præjudicent.

C A-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Probatur Articulos contra Societatem latos, invalidos; & illegitimos eſſe, defectu Conſenſus Regnicolarum.

CErtum eſt Societatis Patres, habuiſſe jus ad Bona ſtabilia ante Pacificationem Viennenſem, & Articulum contra illos in eâdem latum, ut Cap. 1. tractatus hujus probatum eſt: ſed jus illud neque vi Pacificationis Viennenſis, & Articuli contra illam lati, neque aliorum poſtmodum in diverſis Regni Comitijs, eundem confirmantium virtute, Patres perdiderunt: ergo etiamnum habent, ad ſimilia Bona poſſidenda: quod enim quis habuit, & non amiſit, adhuc habet.

Jam quod per Articulum Pacificationis Viennenſis, jus ſuum nequaquam perdiderit Societas,

Probatur, quia Articulus ille Viennenſis nihil prorſus concluſit, aut ſtatuit: ergo Societati, jus ſuum quod ante habebat, non ademit, & conſequenter illud non perdidit Societas. Ad hoc enim ut Articulus aliquis concludat, & ſtatuat aliquid, adeòque validus ſit in Regno Hungariæ (ex Cap. 6.) eſſentialiter requiruntur duæ conditiones. Prima, ut articulus ille, unanimi conſenſu Populi ſit conſtitutus. Secunda, ut eundem Rex legitimè Coronatus, acceptet, & approbet. alterutrâ Conditione deficiente, non cenſetur Lex valida, & conſequenter nihil concludit.

Infero

Infero: ſed ad Articulum Octavum Pacificationis Viennenſis, & unanimis populi conſenſus defuit, & inſuper etiam Regis acceptatio, & approbatio: ergò Articulus ille non fuit, nec eſt validus; ac propterea etiam nihil concluſit; ſed reliquit Patres Societatis in ſuo antiquo jure, quod ad Bona ſtabilia habuerunt.

Quòd verò unanimis conſenſus Populi defuerit, clarum omninò eſt, quia Articulo illi ſtatim contradixit, Primò, unus integer, idemque primus, ac præcipuus Regni Status, videlicet Eccleſiaſticus; Secundò, Regnum Croatiæ univerſum, paratum potiùs ſciſſionem à Corona Hungariæ facere, quàm circa Religionem, & ad eandem ſpectantia jura, immutationem aliquam pati. Vnde illi qui Articulum illum compoſuêre, auſi non ſunt in Capite Articuli ponere, Status & Ordines univerſi non conſentiunt, quod facere ſolent cum quidpiam conſenſu unanimi concludunt, in rebus potiſſimùm magni momenti, ſed ſcripſerunt duntaxat, Hungari non conſentiunt. In quo ipſo tamen graviter errarunt; cùm plurimi ex Hungaris, imò omnes omninò Catholici Hungari ex omnibus Statibus & Ordinibus Articulo prædicto contradixerint, & contra illum publicè, ac ſolenniter, & in autenticis locis ſint proteſtati. quam etiam contradictionem poſtmodum in alijs quoque Generalibus Comitijs repetiverunt: & nos illam fideliter ad calcem exhibebimus.

Quare ex hoc Capite Articulus prædictus nullam vim legis accipere potuit; conſequenter nihil concluſit: ſed Patres Societatis manſerunt, atque etiamnum manent, in antiquo ſuo jure, capaceſque ſunt Bonorum Stabilium,

Poſſeſ-

& Poſſeſſionum. Videamus nunc utrùm illum Rex acceptaverit, & approbaverit.

CAPUT IX.

Probatur eundem Articulum illegitimum eſſe, ex defectu conſenſus, & acceptationis Regiæ.

NOn indiget hæc pars probatione aliâ, quàm ſimplici Articuli ipſius lectione, qui ſic habet: Hungari non conſentiunt, quòd Ieſuitæ, in Regno Hungariæ, Jura ſtabilia, & poſſeſſionaria habeant. ſubjungitur autem imediatè: Sua tamē Majeſtas, Juribus ſuis Regijs inhæret. Quid? inhæret ſuis Iuribus? ergò non conſenſit; imò reclamavit: ac conſequenter articulus, tanquam invalidus, nihil concluſit.

Quæres; Quodnam tandem ſit jus illud, cui ſe inhærere memorat ſua Majeſtas Regia in prædicto Articulo?

Reſpondeo, Eſſe Ius illud, quod Regibus Hungariæ à tempore Sancti Regis Stephani, ipſiuſque Gentis Hungaricæ, damnatâ Gentilitate, converſionem, adeòque Regni Hungariæ Origine, ſimul cum Imperio, ab ipſa communitate traditum eſt, videlicet, plena & abſoluta poteſtas, Poſſeſſiones, ac Bona, ſive Eccleſiaſtica, ſive ſecularia, pro placito conferendi. Poſtquam enim (Verba ſunt primæ part. tit. 3.) inſpirante Spiritus S. gratiâ, ad agnitio-

tionem veritatis, Catholicæque Fidei profeſſionem, operâ ipſius S. Regis Noſtri, Hungari pervenêre, omnis Nobilitationis, & ex conſequenti, poſſeſſionariæ collationis, quâ Nobiles decorantur, & ab ignobilibus ſegregantur, facultas, plenariaque poteſtas, in Juriſdictionem Sacræ Coronæ Regni hujus, & per conſequens, in Principem, ac Regem Noſtrum, à Communitate, & Communitatis auctoritate, ſimul cum Imperio, ac Regimine tranſlata ſunt. Habetur idem primæ Part. tit. 10. ſecundæ Part. tit. 3. Decreto item 5. Wladis. Anno 1504. Art. 10. & alibi.

Quod verò in particulari concernit facultatem conferendi Eccleſiaſtica Beneficia, & Prælaturas, eam habent Reges Hungariæ, & ex rationibus primæ part. tit. 11. recenſitis, & inſuper ſpeciali ipſiuſmet Summi Pontificis auctoritate & conſenſu, qui, ut apud Baronium videre eſt, Anno Domini 1000. auditis rebus à S. Stephano Duce adhuc, pro Dei gloria præclarè geſtis, & quot infideles ſuâ potentiâ ad Chriſtum convertiſſet, mirè exhilaratus Pontifex, (Sylveſter II. is erat) & Coronam ei libenter miſit, & Crucem, ceù Apoſtolatus inſigne ante Regem ferendam adjunxit: Ego (inquiens) ſum Apoſtolicus, at ille meritò Chriſti Apoſtolus, dici poteſt, cujus operâ tantum populum ſibi Chriſtus requiſivit. Atque ea de cauſa, quemadmodum illum Divina gratia docebit, Eccleſias Dei unà cum Populo,

Noſtrâ

Digitized by Google

Noſtrâ vice, ei ordinandas relinquimus. Hæc Baronius ex Cartuitio.

Verùm, dulciùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Ipſum Silveſtrum Papam ſuper hac re ad S. Stephanum luculenter ſcribentem legamus: cujus Epiſtolam ex Archivio Traguriensis Eccleſiæ accepimus in hæc verba:

Silveſter Epiſcopus, Servus Servorum DEI, Stephano Duci Ungarorum Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LEgati Nobilitatis Tuæ, in primis verò chariſſimus Confrater noſter Aſtricus Venerabilis Colocenſis Epiſcopus tantò majori cor noſtrum lætitiâ affecerunt, ac minori officium ſuum labore confecerunt, quantò divinitus præmoniti, cupidiſſimo animo illorum adventum, de ignotâ nobis gente, præſtolabamur. Felix legatio quæ cœleſti præventa Nuncio, atque Angelico pertractata miniſterio, priùs DEI concluſa eſt decreto, quàm à nobis audita fuiſſet. Verè non volentis, neque currentis, ſed, ſecundùm Apoſtolum, miſerentis eſt DEI: qui teſte Daniele, mutat tempora, & ætates: transfert Regna, atque conſtituit: revelat profunda, & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta, quia lux cum eo eſt: quæ ſicut docet Joannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primùm ergo gratias agimus DEO Patri, & Domino noſtro JESU Chriſto, qui temporibus noſtris invenit ſibi David filium Geiſæ, hominem ſecundùm cor ſuum, & luce irradiatum cœleſti, ſuſcitavit illum paſcere Iſraël populum

ſuum, electam gentem Hungarorum. Deinde laudamus pietatem ſublimitatis Tuæ in Deum, & reverentiam erga Sedem Apoſtolicam, cui divinâ patiente miſericordiâ, nullo meritorum noſtrorum ſuffragio præſidemus. Tum verò largitatem liberalitatis, quâ B. Petro Apoſtolorum Principi, Regnum ac Gentem, cujus Dux es, cunctaque Tua, ac Te ipſum per eoſdem Legatos, & literas perpetuùm obtuliſti, digno præconio commendamus. Hoc enim facto egregio apertè teſtatus es, & revera talem Te merito eſſe demonſtraſti, qualem ut nos Te declarare dignaremur, ſtudiosè expetiviſti. Sed parcimus. Neque enim neceſſe eſt, ut quem tot, ac talia præclarè pro Chriſto geſta facinora voce publicâ clamant, quemque Deus ipſe commendat, amplius commendemus. Quare, Glorioſe Fili, cuncta à Nobis, & Sede Apoſtolicâ expoſtulata, Diadema, nomenque Regium, Strigonienſem Metropolim, & reliquos Epiſcopatus, de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate præmonente, atque ita jubente eodem Omnipotente Deo, cum Apoſtolicâ, & noſtrâ benedictione libenter conceſſimus, concedimus, & impertimur; Regnum quoque à munificentiâ Tuâ S. Petro oblatum, Teque unà ac Gentem, & Nationem Hungaricam præſentem, & futuram, ſub protectionem S. Romanæ Eccleſiæ acceptantes, Prudentiæ Tuæ, Hæredibus, ac legitimis Succeſſoribus Tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum, ac poſſidendum reddimus, & conferimus. Qui quidem Hæredes, ac Succeſſores Tui quicunque, poſteaquàm per Optimates legitimè electi fuerint, teneantur ſimiliter nobis, & Succeſſoribus noſtris per ſe, vel per Legatos debitam obedientiam, ac reverentiam exhibere, ſeque S. Romanæ Eccleſiæ, quæ ſubiectos

non

Digitized by Google

non habet ut ſervos, ſed ut filios ſuſcipit univerſos, ſubditos eſſe oſtendere, atque in Catholicâ fide, Chriſtique Domini, ac Salvatoris Noſtri religione firmiter perſeverare, eamdemque promovere. Et quia Nobilitas Tua Apoſtolorum gloriam æmulando, Apoſtolicum munus, Chriſtum prædicando, ejuſque Fidem propagando, gerere non eſt dedignata, Noſtraſque, & Sacerdotij vices ſupplere ſtuduit, atque Apoſtolorum Principem præ cæteris ſingulariter honorare: idcircò & Nos ſingulari inſuper privilegio Excellentiã Tuam, Tuorumq; meritorum intuitu, hæredes, ac Succeſſores Tuos legitimos, qui ſicut dictum eſt, electi, atque à Sede Apoſtolicâ approbati fuerint, nunc & perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes, ut poſtquam Tu, & illi, Coronâ quam mittimus, ritè juxtà formulam Legatis Tuis traditam, coronatus, vel coronati extiteritis, Crucem ante ſe, Apoſtolatus inſigne, geſtare facere poſſis & valeas, atque illi poſſint, valeantque; & ſecundùm quod Divina gratia Te, & illos docuerit Eccleſias Regni Tui præſentes, & futuras Noſtrâ, ac Succeſſorum Noſtrorum vice diſponere, atque ordinare, Apoſtolicâ authoritate ſimiliter conceſſimus, volumus, & rogamus, ſicuti in alijs literis, quas in Communi ad Te, Optimateſque Regni, & cunctum fidelem populum per Nuncium Noſtrum, quem ad Te dirigimus, deferendis, pleniùs hæc omnia explicata continentur. Oramus Omnipotentem Deum, qui Te de utero Matris Tuæ vocavit nomine Tuo ad Regnum & Coronam, quique Diadema, quod Duci Polonorum confectum per Nos fuerat, Tibi dandum mandavit, augeat incrementa frugum Juſtitiæ ſuæ; novellas plantas Regni Tui rore ſuæ benedictionis perfundat largiter; Regnumque Tuum Tibi, Teque Regno ſervet incolumem; ab

hoſtibus viſibilibus,& inviſibilibus protegat, ac poſt terreni Regni moleſtias in cœleſti Regno coronâ adornet æternâ. Datæ Romæ VI. Kal. April. Indictione decimâ tertiâ.

Hoc idem Regum Hungariæ Privilegium, tempore Sigiſmundi Imperatoris, & Regis Hungariæ, unà cum alijs compluribus Regni ejuſdem libertatibus, confirmatum eſt, in Generali ac celeberrimo Concilio Conſtantienſi, Juriſq; jurandi religione roboratum, uti in eodem tit. 11. paulò ante citato habetur.

CAPVT X.

Qualiter Reges Hungariæ univerſi à tempore conditi contra Patres Articuli, uſque ad modernam Sacratiſſimam Cæſaream, Regiamq; Majeſtatem inhæſerint Iuri huic Regio, in Ordine ad Societatem.

SVffeciſſet ad invalidandum Articulum contra Societatem latum, publica illa Regis reclamatio, & Juris inhæſio, Articulo adjecta; verùm ut non ſolùm verbo, verùm etiam facto ipſo Orbi univerſo palàm facerent Ius Patrum, Reges omnes, uſque ad modernam Sacram Cæſaream Regiamque Majeſt: Ferdinandum Tertium, Dominum Noſtrum Clementiſſimum, ſpecialibus & dicto Articulo è diametro contrarijs actis, eidem ſunt adverſati. Et

Primò

Digitized by Google

Primò, felicis rec: Rudolphus, quo Imperatore toties Nominatus Viennenſis Articulus, eſt conditus; no vel anni unius præſcriptione gaudere poſſent Adverſarij, eo ipſo Anno 1606, Septimo item, ac etiam Octavo, quo iterùm ille confirmatus eſt; Patres Societatis IESV, in Collegio Præpoſituræ Thurocienſis commorantes, ad publica Generalia Regni Comitia, Literis Regalibus, ad tractandã cum reliquis Dominis Prælatis, Baronibus &c. pro bono communi negotia, clementiſſimè invitavit. Regales ipſas infrà exhibebimus.

Secundò. Cum Patres, fervente tumultu per Stephanum Bochkai excitato, (quemadmodum etiam plures Domini Prælati) Præpoſituræ Thurocienſis realem poſſeſſionem continuare nõ poſſent, ac proinde cogeretur Matthias Imperator, eandem, ne in manus ſecularium devenirer, ad tempus, ſaltem titulo tenus, alicui Eccleſiaſticæ perſonæ conferre, contuliſſetq; Illuſtriſſimo & Reverendiſs Domino Franciſco Forgach, S.R.E. Cardinali, & Strigonienſi Archiepiſcopo; ut tamen jus Patrum maneret integrum, conſtaretque; voluit ſua Majeſtas à memorato Domino Cardinale Reverſales habere, quibus agnoſceret Præpoſituram jure ad Patres Societatis, tanquam legitimos poſſeſſores pertinere; & ipſe quoque Dominus Cardinalis, Præpoſiti titulum, aliâ ratione noluit acceptare, quàm ut Officiales omnes, à Rectore Collegij Tyrnavienſis ponerentur; & fructus omnes ac utilitates ſemper eidem conſignarentur. Decretum Regium, quemadmodum & Reverſales præfati Domini Cardinalis, ad calcem tractatus hujus habebit Lector; ubi etiam negatam alijs ſupplicantibus Præ-

poſitu-

poſituram Thuroczienſem, & penes Societatem à Rudolpho Imperat. relictam, ex Decretis ejuſdem docebimus.

Tertiò. Defuncto Cardinale Franciſco Forgach, cum Patribus, ob injurias temporum necdum compoſitas, non videretur integrum adhuc, Præpoſituræ præfatæ adminiſtrationem ſuſcipere, Idem Matthias Imperator Feliciſs: rem: Anno Domini 1616. voluit Illuſtriſsimum & Reverendiſſimum Dominum Petrum Pazmany, poſtea S. R. E. Cardinalem, quemadmodum ArchiEpiſcopalis dignitatis, ſic pariter paterni erga Societatem affectus facere ſucceſſorem; contulitque eidem Præpoſituram Thuroczienſem; ita tamen, ut ipſe quoque, datis Reverſalibus, jus Societatis fateretur, & in recognitionem certam quotannis pecuniæ ſummam numeraret, ac tandem paratus eſſet etiam adminiſtrationem Præpoſituræ in manus ejuſdem concedere, ubi Patribus integrum eſſet ſuſcipere.

Quartò, Ferdinandus Secundus ſanctæ rec: qui Matthiæ in Regno & Imperio ſucceſſit, ad ipſa Gubernationis ſuæ initia Anno videlicet 1621 prædictum Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopũ Petrum Pazmany, peculiaribus literis requiſivit, inferiùs producendis; cupivitque ut Præpoſituram Thuroczienſem è manibus emitteret, & Commiſſarijs Cæſareis ſpecialiter ad id emittendis conſignaret, Patribus Societatis, tanquam veris & legitimis poſſeſſoribus reſtituendam. Id quod ſine difficultate feciſſet Archiepiſcopus, niſi Betleemitici tumultus, iteratò cœpiſſent recrudeſcere, & ipſi Patres expectandum nonnihil, cenſuiſſent.

Quintò,

Digitized by Google

Quintò, idem Ferdinandus, non obſtantibus quibuſvis Articulis, circa Annum Domini 1627. novum Societati Collegium fundavit Jaurini, cui Abbatiam de Valle Weſprimienſi B. M. V. & alteram S. Iacobi de Liben clementiſſimè applicuit.

Sextò, Ferdinandus Tertius, Modernus Imperator & Rex, Dominus noſter Clementiſſimus, paternæ virtutis ex æquo, ac Regnorum hæres, ſub ipſa ſuſcepti Regiminis ſui initia, extincto Eminentiſſimo Cardinale Petro Pazmany, voluit è veſtigiò Præpoſituram Thurocziensem Patribus Societatis, tanquam antiquis, veris, & legitimis poſſeſſoribus reſtitui; & per Inclytam Cameram Poſonienſem, juxtà Regni conſuetudinē conſignari; quod etiam factū eſt, ut infra docebim⁹. Inſuper cū non multò poſt Generalia Regni Comitia indicta fuiſſent, Rectorē Coll: Tyrnavienſis, tanquā Præpoſitum, ad eadem, Regalibus literis invitare eſt dignatus: ſicut & reliquos poſtea Collegij ejuſdem Rectores, uſque ad præſentia Comitia hujus 1646. Anni, quorum omnium Regales, habentur in promptu.

Quid memorem Collegia, & Reſidentias, Sopronienſe, Varaſdinenſe, Zenderovienſe, Caſſovienſe &c. horum duorum Imperatorum vel Regiâ auctoritate fundata, vel munificentiâ dotata, & protectione plus quàm paternâ cuſtodita, ac defenſa? Ex quibus ſanè apparet nullum à conditis Articulis, qui Societatis jus impetivêre, Regem Hungariæ extitiſſe, qui eoſdem & verbo, & facto nullos, ac irritos eſſe, ac fuiſſe non oſtendit.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Quòd Proceres quoq; Regni Hungariæ novis fundationibus factis, Jus Societatis illibatum demonſtrârunt.

EXempla Regum, (ut fieri ſolet) non ſegni pede ſecuti ſunt Proceres Catholici. Nam & ipſi Anno hujus ſeculi Octavo, (quo Articulus octavus Viennenſis, extra Regnum, & Regni Comitia ante biennium, ſub Archiduce ſolùm Matthia, factus erat, primùm noſcitur confirmatus, ſtatim finitis Comitijs Societatem expetere, ac in Bona & Dominia ſua ducere non dubitârunt. Quos inter primus fuit Illuſtriſſimus Comes Georgius Drugeth de Homonna, qui Patres in locum Reſidentiæ ſuæ, Homonnam induxit, ac non multò poſt aſſignatis certis, iiſque Stabilibus Bonis, ac PoſſeſſionibusCollegij Fundator eſſe voluit. Hunc proximè ſecuti gemini Regni Croatiæ Proceres, Illuſtriſſimus Joannes Draskovich Regni Croatiæ Banus, nec non Spectabilis ac Magnificus Dominus Nicolaus Iſtuanffi, qui primi Societatem, Zagrabiam, Croatiæ modò Metropolim humaniſſimè invitârunt, & egregiâ liberalitate foverunt. Inde in alia quoque loca propagata eſt Societas, diverſis Benefactoribus à Divina Majeſtate excitatis; & in primis Eminentiſſimo S. R. E. Card. PETRO PAZMANY, ævi ſui gloriâ ſingulari, qui præter plurima æternâ memoriâ digniſſima geſta, ingenti juventutis Hungaricæ, & Religionis cōmodo, gemina fundavit Societati Collegia, alterum in Libera, Regiâque

Civitate

Digitized by Google

Civitate Poſonienſi, quod & à fundamentis extruxit; alterum in ſuperioribus Hungariæ partibus Zathmarini, quod pariter ſufficienter dotavit: ut taceam glorioſam illam, totque Regibus ac Principibus negatam, & tandem Petro ſervatam Academiæ, Studijque Generalis inſtitutionem; quam immortali laude ſuâ, Regni profectò Hungariæ ſplendore incomparabili, in Libera Regiâque Civitate Tyrnavienſi fundavit. ob quod illius in Regnum ac Gentem Hungaricam Beneficium, omnes Status ac Ordines, frigidis etiam ejuſdem cineribus, obligatos ſe manere, nullus dubito, fatebuntur.

Atque ita, probatum manet, ut arbitror, quod principio Tractatus præſentis intendebatur, videlicet, ad Articuli contra Societatem in Pacificatione Viennenſi lati, firmitatem, defuiſſe & populi unanimem conſenſum, & Regum omnium acceptationem & approbationem; & conſequenter juri Patrum, quod antiquitus ad jura poſſeſſionaria habebant, nihil prorſus eſſe derogatum.

Addo Articulum eundem etiam ex eo capite infirmum eſſe, quia is extra Regnum, Diætamque Generalem eſt factus; & quidem judicio, (ſi conſtare ſibi velint) ipſorum adverſariorum: nam ij cum tempore ejuſdem Pacificationis Viennenſis probare contenderent, Articulum ultimum Anni quarti, contra Acatholicos ſtatutum invalidum eſſe, hoc uſi ſunt argumento: Articulus ille extra Diætam, & ſine Regnicolarum unanimi cõſenſu factus eſt: ergo nullus, & ideò etiam ſublatus. Atqui etiam Articulus Octavus Pacificationis, extra Regnum, Regnique Generalem Diætam, ſine Regnicolarum unanimi conſenſu, addo Rege ipſo reclamante, & contradicente factus eſt: ergò nullus, & ideò etiam

am tollendus. placuit argumentum hoc contra Catholicos? valeat etiam nunc, & ſanè valere debet, contra Catholicorum adverſarios.

Dices. Articulum Viennenſem in Regno poſtmodum, ac Generalibus ejuſdem Comitijs eſſe confirmatum.

Reſpondeo. Omnem Confirmationem ſupponere rem, quam confirmat; unde ſi ipſa res non ſubſiſtit, neque Confirmatio ejuſdem ſtare poterit, quemadmodum lumine naturæ id clarum eſt: cùm autem articulus contra Societatem latus, nunquam ſteterit, (uti ſupra probatum eſt,) hinc eſt quòd etiamſi mille Confirmationes ſecutæ fuiſſent, nullam vim, ac firmitatem habuiſſent. Vt taceam ipſis quoque ſubſecutis Confirmationibus, pariter ſemper à Statu Eccleſiaſtico æquè, ac ſeculari Catholico ſolenniter fuiſſe contradictum.

Accedit quòd non obſtantibus omnibus prædictis Articulis, Societatis Patres, ad Bona, ac Poſſeſſiones, quas de factò tenent, legitimè, ac viâ ordinariâ, juxta Regni Leges, ac conſuetitudines inducti ſunt, nullo hominum contradicente, ne quidem ipſis Acatholicis: eadem pacificè poſſederunt; ad Conventus & Congregationes Comitatuum admiſſi ſunt, ſuoque loco ac ordine poſiti ac nominati; ſuffragia eorum petita, & accepta; omnia denique Comitatuum onera, pari cum reliquis Dominis Prælatis, Baronibus, & Nobilibus, &c. humero tulerunt; Contributiones tam pecuniarias, quàm militares juxta Comitatuum limitationem præſtiterunt, uti elapſis 1642. & 43. Annis, videre fuit. Et denique in omni genere nihil minus præſtitit Societas, juxta vires ſuas proportionalirer, quàm quilibet aliorum

Domi-

Digitized by Google

Dominorum Prælatorum, aut Nobilium Secularium. Quare quod ſemel placuit, diſplicere poſt modum non debet.

CAPUT XII.

Solvuntur nonnullæ Objectiones Adverſariorum.

OBijciunt Adverſarij. Etiamſi prædicti & allegati contra Patres Articuli nihil concluderent, eſſe tamen alios longè antiquiores, Conſenſu non minus Regum, quàm Regnicolarum conſtitutos, ob quos Societas Jura ſtabilia, & poſſeſſionaria habere, nullâ ratione poteſt. extat enim Articulus Anni 1542. qui ſic ſonat, eſtque numero

Articulus XXXIII. Ferdinandi I.

ET quia Civitates Regiæ, &c. Ideò Statutum eſt, ne de cætero Bona aliqua, & Jura poſſeſſionaria, ad ſacram hujus Regni Coronam, conſequenterque Collationem Regiam, quoquo modo devoluta, vel devolvenda, Civitatibus, Oppidis, Villis, & alijs quibuſvis Communitatibus, conferantur, & inſcribantur, &c.

Cùm autem Societas, ſit quædam Communitas, hinc eſt, quòd illa, Bona poſſeſſionaria, habere non poteſt.

Digitized by Google

Ad hanc Obiectionem Reſpondetur.

Primò, Articulum hunc, non magis concernere Societatem, quàm univerſum Statum Eccleſiaſticum, ac proindè quod ille reſponſurus eſt ad dictam Objectionem, id ipſum etiam dicturam Societatem. Quanquam ſicut Eccleſiaſtico Statui nihil prorſus præjudicare illam ſentio, ita neque Societati: ſed id modò diſputare mihi non eſt integrum.

Reſpondetur ergo ſecundò: & dico, quòd etſi Articulus prænominatus (dato; nec tamen conceſſo) contineret ſenſum, quem ſibi adverſarij imaginantur, nihilominus tamen, illum, vel Societatem Jesu non concernere, vel eandem excipi, aut quantum ad illam articulo derogari.

Probatur. Quia non obſtante Articulo citato, Anni 1542. ijdem ſtatus ac Ordines Regni, qui prædictum Articulum conſtituerunt, ſexennio poſt, Anno videlicet 1548. Art. 12. unanimi conſenſu ſtatuerunt, ut Bona, & proventus Monaſteriorum, & Clauſtrorum, nec non Capitulorum deſertorum, ad alendos doctos Parochos, nec non ad inſtaurationem, & erectionem ſcholarum, earundemque Magiſtrorum intertentionem, ac denique bonæ ſpei, ac indolis, juvenum & adoleſcentum, ut bonis literis operam dare poſſint, promotionem, & auxilium applicentur & convertantur; quò tali ratione, boni & docti viri alantur, & nutriantur. ergò vel non fuit mens Articuli ut Scholis, earundemque Magiſtris, (quales ſunt Societatis Patres,) Bona hujuſmodi non applicentur; vel ſi ea mens fuit, ex ea parte Articulo illi voluerunt derogatum.

Præterea,

Digitized by Google

Præterea, ſub eodem Ferdinando Anno 1550. art. 19. ijdem Status ac Ordines Regni ſuam Majeſtatem, ſuppliciter rogarunt, ut dignetur (verba ſunt Articuli) Bona & prouentus Eccleſiarum, & Capitulorum, Conventuumque deſertorum, ad erectionem Scholarum, Doctorumque virorum ſuſtentationem, ſine diuturniori mora, ubique converti facere, & tergiverſantes, auctoritate ſuâ Regiâ compellere; quò ſic viris Doctis, in Regnum conductis, ſcholiſque erectis, Divinus cultus, ac Religio paſſim celeriùs repullulet; quemadmodum Majeſtas ſua, benignè ſe facturam obtulit, ita Articulus.

Adeò autem neceſſariam judicavit Ferdinandus hujuſmodi Scholarum erectionem, ex quibus boni viri, ac docti prodirent, ut licèt Anno 1560. Decreto Revocatorio ſingulari, (ſuper Inſcriptis, Impignoratis, Donatis, aut venditis, ac quovis modo, per ipſum alienatis Bonis Eccleſiarum Hungariæ) omnes hujuſmodi Donationes, Impignorationes &c. factas, caſſaverit, irritaverit, revocaverit; tamen eas, quas pro Scholarum erectione & Magiſtrorum ſuſtentatione contulit, in ſuo vigore & valore voluerit permanere. Verba Decreti ſunt hæc paulò poſt initium. Volentes igitur &c. de maturo conſilio, & deliberatione noſtra, & Dominorum Prælatorum, ac Baronum, ac aliorum Conſiliariorum Noſtrorum, nobiſcum nunc hìc exiſtentium,

decre-

decrevimus, ac deliberavimus, quòd univerſa Bona Eccleſiaſtica, (exceptis ijs quæ ad ſcholas intertenendas applicuimus, & dedimus) quocunque nomine cenſeantur &c. ſtatim ac de facto occupentur.

Ex quo apparet, neque Regem, neque Status, ac Ordines, per prædictum Articulum intendiſſe; aut ſi intenderunt, eidem in ea parte voluiſſe derogatum, ut videlicet Communitatibus, qui informandæ juventuti tum literis, cum pietate ſtudet, Bona ſtabilia non conferantur. ſi enim id intendiſſent, nunquam adeò ſolicitè petiviſſent deſertorum Monaſteriorum &c. bona hujuſmodi Communitatibus conferri ac quidem, ſine mora, & reluctantes auctoritate Regiâ compelli. Cum autem Societas vi inſtituti ſui, ex profeſſo doceat juventutem eas Artes & ſciencias, ex quibus viri non minùs boni, quàm Docti prodeunt, quemadmodum id neque Acatholici, ut arbitror, diffitebuntur; hinc eſt quòd articulus ſupra citatus eam non concernat.

Dices. quid ſibi vult ergò tandem ille Articulus?

Reſpondeo. Dictum Articulum nihil prorſus decernere contra Statum Eccleſiaſticum, ſed ſolùm contra laicas & ſeculares Communitates.

Probatur id Primò, Quia nec Rex, nec Regnum poteſt condere ſtatutum ullum, quod ſit contra Jus Divinum, & Naturale; omnia enim Statuta, etiam ex part. 2. tit. 3. Salvo Divino, ac naturali jure, fieri debent, ut valida ſint Et ut idem Tripart. in Prologo, tit. 6. de definitionibus legis, & Conditionibus benè loquitur, Humanæ Leges, eatenus tantùm valent, quatenus non diſcrepant à Divinis.

Ac

Digitized by Google

At verò, ſtatuere Decretum, quo nemo poſſit quicquam ſtabile, Deo Omnipotenti, pro ſalute animæ ſuæ, ſuorumq;, aut aliorum offerre, eſt contra jus naturale, ac Divinum: ergo talis lex non poteſt ſtatui; & ſi ſtatuatur, nullius erit roboris, ac valoris.

Secundò, Patet id ipſum tùm ex titulo Articuli, qui ſic ſe habet: Civitatibus Regijs, & Liberis, nullo titulo Bona conferantur; ac per Notam Infidelitatis collata, per Comites, & ViceComites, ad quos pertinent, reſtituantur. tùm ex ipſo contextu Articuli, causâque ejuſdem, ibidem expreſsâ, ob quam Articulus nominatus ſtatutus eſt. Specialiter enim nominantur Communitates, quibus conferre non licet, & quidem omnes ſeculares, videlicet, Regiæ Civitates, Oppida, Villæ. Neque refert quòd adnexum ſit, & alijs quibuſvis Communitatibus: nam poterant adhuc eſſe communitates aliæ, ſeculares, quæ ad hujuſmodi poſſeſſiones aſpirarent. talis fuit Exercitus Jaurini Hungaricus, vel potiùs miles ſtipendiarius, (ut alias taceam) qui partem certam cis Danubium in Patahaza prætendebat; tales ſunt Officialatus, & Officiales, contra quos in omnibus penè Generalibus Comitijs querelæ deponuntur.

Confirmatur prædicta ratio. quia prorſus eſt incredibile, quòd ſi Regnum quidpiam ſtatuere voluiſſet contra Statum Eccleſiaſticum, qui primus & præcipuus eſt, & cui Donationes, & collationes hujuſmodi conferendas eſſe faciliùs poterant ſuſpicari, quàm ulli ſeculari communitati, nihilominùs his expreſsè, ac nominatim recenſitis, Civitatibus videlicet, Liberis Oppidis, imò etiam Villis ipſis, non

nominaſſet, integrum unum, eundemque præcipuum RegniStatum, Eccleſiaſticum nimirum; quis hoc credat? Legantur paſſim alij Articuli, qui Eccleſias & Eccleſiaſticos concernunt, quàm diligenter, ac expreſsè nominatim eorum fit mentio.

Denique credamúsne fieri potuiſſe, ut Ferdinandus Rex & Imperator Catholiciſſimus, qui nihil magis, quàm Dei cultum, & avitæ Religionis incrementa præ oculis habebat, quemadmodum ex omnibus ejuſdem Decretis patet, Regnum item, ac populum, qui communibus votis, ac precibus, id unum vel maximè à Rege poſtulabat, ut Religio ad priſtinam normam redigeretur. Inprimis (verba Decret. Anni 1548. art. 5. refero) quoad negotium religionis omnes Ordines, & Status Regni, unâ voce ſentiunt, cultum Divinum, & Religionem ad priſtinam normam eſſe redigendam, & Hæreſes undiq; tollendas, juxtà admonitionem ſuæ Regiæ Majeſtatis. Quis, inquam, credat, talem Regem, & tale Regnum, voluiſſe Articulum ponere, quo omnibus prohiberet, quidpiam dare aut conferre ijs, per quos & cultus Divinus & Orthodoxa Religio vel maximè conſervatur, & augetur?

Non eſt itaque alius Articuli præfati ſenſus, quàm ne Civitatibus Regijs & Liberis &c. communitatibuſve ſecularibus, in præjudicium Fiſci Regij, Bona poſſeſſionaria cõferantur, ob rationes in articulo declaratas, ut legenti patebit.

Sunt & alia nonnulla argumenta, quæ contra præfatum jus Societatis obijci ſolent, deſumpta ex varijs inconvenientijs, quas ſecuturas arbitrantur, ſi Bonorum ſtabi-

ſtabilium capaces ſint Patres: verùm quoniam illa vel falſo nituntur fundamento; vel ex jam dictis non difficulter diſſolvi poſſunt; adeòq; ne inconvenientiæ prætenſæ eveniant, abundè Legibus Hungariæ ſit cautum, maximè per decreta Wladiſlai, & Ferdinandi Regum; nihil aliud ſupereſt, quàm ut Statuta illorum in viridi ſint obſervantia. Quare, ne Tractatus hic quoque æquo magis excreſcat, omiſſis hujuſmodi objectiunculis, ad ea, quæ ſub finem Tractatus hujus probanda rejeci me conferam. Sit ergo

CAPUT XIII.

In quo oſtenditur Societas legitimè intraſſe in Bonorum ſtabilium poſſeſſionem, per Regiam Collationem.

QVanquam ea quæ Capite I. in hac materia fuſiùs, & per ſeriem deducta ſunt, fidem meritò facere poſſint, de legitima Patrum in hoc Regnum Hungariæ vocatione, introductione, Bonorumque ſtabilium poſſeſſione, ut tamē omnem Scrupulum, ſi quis in re planiſſima jacere poteſt, eximiā, producam audacter, quod alioquin de cauſæ ſuæ æquitate certiſſimi quique, non niſi extremâ neceſsitate coacti facere conſueverunt, ad verbum fideliſsimè deſcriptas Regiæ collationis literas, quibus ut ſuprà memini, Anno Domini 1586. die 19. Menſis Maij, Præpoſitura Thurocȥienſis Societati IESV eſt collata à Rudolpho Imperatore; illarum tenor eſt talis:

Digitized by Google

Nos Rudolphus &c.

MEmoriæ commendamus tenore præſentium, ſignificantes quibus Expedit univerſis, Cum ab eo tempore, quo Hæreſes, DEO ita permittente, paſſim pullulare, & ſerpere, ac incrementum habere inceperunt, non ſine dicti Regni Noſtri Hungariæ, ejuſdemque Eccleſiarum damno, factum ſit, quòd Sacerdotum Catholicorum numerus, diminutus eſſe, & per hoc, ipſe verus, & antiquus DEI cultus, decreviſſe conſpiciatur; idque ideò potiſſimùm accidiſſe comperiamus, quòd Scholæ Catholicæ, in quibus ipſa juventus erudiri, ac ad Sacerdotium, verumque, & antiquum DEI cultum commodè inſtrui potuiſſet, vel raræ admodum, vel propter defectum bonorum & Doctorum Præceptorum, ac ipſorum Scholarium ſuſtentationem, parum frequentatæ, & celebratæ fuerint. Vt itaque ipſa Catholica juventus, deinceps, per DEI gratiam accreſcat, & major habeatur commoditas, cùm ipſam veram & Catholicam Religionem ab omnibus palàm profitendi, tum etiam honeſta literarum ſtudia amplectendi, & per hoc ad Sacrum Sacerdotij Ordinem, ritè aſpirandi: Decrevimus benignè, cùm pro Noſtro in ipſam Catholicam & antiquam Religionem, pio zelo, tum etiam ex Conſilio Dominorum Prælatorum, & Baronum, aliorumq; Conſiliariorum Noſtrorum, in dictum Regnum Noſtrum Hungariæ, (ſicut id ipſum, in cæteris quoq; Regnis Noſtris, non ſine magna utilitate, & propagatione ipſius Catholicæ Religionis factum eſt,) Religioſos Clericos Societatis IESV, introducere, Collegiumque pro ijs inſtituere, & fundare; in quo, dicta juventus erudiatur, & ex qua, velut ex quodam

Semi.

Digitized by Google

Seminario, Catholici Sacerdotes prodire, atque adeò antiquus verus Dei cultus, incrementum, & propagationem habere poſſit. Quapropter, ut dicto Collegio Societatis Iesv, & perſonis Deo jugiter famulantibus, atque erudiendæ juventuti continuam operam nauantibus, nec non ipſis etiam juvenibus, quos in eum finem, ut præmiſſum eſt, ad ſuſcipiendum ſcilicet Sacros Ordines, alere, & inſtruere tenebuntur, de vitæ, aliarumque rerum neceſſarijs, queat eſſe proſpectum, Præpoſituram Conventus Eccleſiæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ, in Comitatu Thurocʒienſi exiſtentem, per mortem, & deceſſum, Reverendi quondam Stephani Radetij, Epiſcopi Agrienſis, & Locumtenentis olim Noſtri, ejuſdem Præpoſituræ ultimi, veri, & legitimi poſſeſſoris, de Jure & de facto vacantem, authoritate Iurispatronatus Noſtri Regij, quo in omnibus prædicti Regni Noſtri Hungariæ Eccleſijs, more Divorum quondam Hungariæ Regum, Prædeceſſorum Noſtrorum bonæ memoriæ, optimo jure utimur, ſimul cum omnibus ejuſdem Præpoſituræ Bonis temporalibus, utpotè totalibus Caſtro Znio, nec non Oppidis, Villis, Telonijs, Poſſeſſionibus, Prædijs, Curijs portionibus, & quibuslibet Iuribus poſſeſſionarijs, tam in dicto Thurocʒienſi, quàm verò in alijs quibuſcunque ejuſdem Regni Noſtri Hungariæ Comitatibus, exiſtentibus & habitis, ad eandem Præpoſituram Thurocʒienſem de jure, & ab antiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus, memorato Collegio Ieſuitarum applicavimus, dedimus, donavimus, & contulimus; ita, & tali conditione, ut ſufficientes illius Societatis viri Religioſi, in eodem Collegio, juxta temporis conditionem, continuè reſideant, certuſque numerus Iuvenum, ut commodè fieri poterit, ad Sacerdo-

tium promovendorum, ex dictæ Præpoſituræ proventibus, per ipſos Patres de Societate IESV interteneatur, & alia quoque quæ ad peragendum ritè cultum Divinum, docendumque ipſum populum, ac erudiendam in pietate, & honeſtis literis juventutem pertinent, diligenter, & ſolicitè, juxtà pium ipſorum inſtitutum, peragantur. Imò applicamus, damus, donamus, & conferimus, Iure perpetuo, & irrevocabiliter, tenendam, poſſidendam, pariter & habendam. Harum noſtrarum ſecreto Sigillo Noſtro, quo ut Rex Hungariæ utimur in pendenti communitarum, vigore & teſtimonio literarum. Datum in Arce Noſtrâ Regiâ Pragenſi, decimâ nonâ die Menſis Maij, Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo Octuageſimo Sexto, Regnorum Noſtrorum, Romani undecimo, Hungariæ & aliorum decimo quarto, Bohemiæ verò Anno ſimiliter undecimo.

Fuit Societas in pacifica hujus Beneficij poſſeſſione, per annos penè viginti. donec tempore tumultus Bochkaiani, illinc contra Jus, & fas omne, per invidiam ſimul & violentiam excuteretur: condereturque Articulus ille Viennenſis; qui biennio poſt, Anno videlicet Octavo, fuit confirmatus. Jam quâ ratione Articulo illi contradixerit Status Eccleſiaſticus videamus.

CAPVT XIV.

Reclamatio, & Proteſtatio Status Eccleſiaſtici contra Articulum adverſus Societatem latum Anno Domini 1608.

FUit hæc Status Eccleſiaſtici Proteſtatio facta coram Venerabili Capitulo Poſonienſi, cujus Atteſtatio ad verbum eſt talis:

Nos Capitulum Eccleſiæ Poſonienſis, memoriæ commendamus per præſentes, quibus expedit univerſis. Quod Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini, Franciſcus Forgach de Ghymes, Presbyter Cardinalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Archiepiſcopus Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis, Locique ejuſdem Comes perpetuus: Demetrius Napraghy, Archiepiſcopus Colocenſis & Bachienſis, Eccleſiarum Canonicè unitarum Adminiſtrator, Epiſcopus Eccleſiæ Jaurienſis, Locorumque eorundem Comes perpetuus: Frater Simon Bratulich Zagrabienſis, Prior Generalis Fratrum Ordinis Beati Pauli primi Eremitæ: Nicolaus Micatius Varadienſis, & Franciſcus Ergelius Electus Quinque Eccleſienſis, Eccleſiarum Epiſcopi, & Conſiliarij Regiæ Majeſtatis. Item Admodum Reverendi & Venerabiles, Joannes Thelegdinus, major, Strigonienſis, Matthias Herovitius, Albæ Regalis, Ladiſlaus Maythiny de Kőſzőlőkeő, utriuſque Budenſis, Præpoſiti: Georgius Himelreich, ArchiAbbas Sancti Martini, Sacri Montis Pannoniæ; Paulus Ruber, Saghienſis, &

Sancti

Sancti Thomæ; Joannes Piber, Sacratiſſimæ Trinitatis, de ſuperioribus calidis aquis, vulgò Fòlhevizienſis, Præpoſiti, & Canonici, dictæ Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis: Ladiſlaus Habardi Conventus Sanctæ Crucis de Leleſz Præpoſitus, Cantor; Andreas Hoginus Præpoſitus Minor Beatæ Mariæ Virginis; Canonici Agrienſes: Georgius Ottaucius Archidiaconus Cathedralis, & Nicolaus Joikoczj, Canonici Zagrabienſes: Ladiſlaus Hoſzutoti Præpoſitus, Andreas Andahazi Prolector, Blaſius Siculus, Canonici Scepuſienſes; Joannes Iuanczi, Præpoſitus Major, Joannes Altabak, Sancti Adalberti Præpoſitus, & Canonici Jaurienſes: Paulus David, Lector, & Canonicus Eccleſiæ Nitrienſis: Stephanus Chemethey, Præpoſitus Caſtri ferrei; Andreas Karol, aliter Vaſuari, Præpoſitus Major Weſprimienſis: Petrus Kalli Præpoſitus Conventus S. Michaëlis de Chorna, & Thomas Tròley Abbas Piliſienſis: Noſtram perſonaliter veniendo in præſentiam, per modum ſolennis Proteſtationis, Contradictionis, & Reclamationis, in primis, causâ Liberæ Religionis, & in fine ejuſdem Articuli, de Superintendentibus, contra antiquas Conſtitutiones, & Libertates Archidiaconorum. Item ſeptimi Articuli Conſtitutionis Hungaricæ Tractatus Viennenſis, de Sede ſpirituali; quæcunque Quæſtiones, contra prærogativam, Libertatem, Leges, & Articulos decreti, uſu continuantes concernerent. Sic etiam de ſexto Articulo, quo authoritati Dominorum Prælatorum non poſſeſſionatorum, vel Reſidentiâ carentium, derogaretur; vel Comitum Officio adverſaretur.

Sic quoque, De Octavo de Patribus Jeſuitis, Item quia ipſi Domini Barones, & Regnicolæ, de medietate decimarum Colonorum Turcico jugo ſubiectorum (ut

quem-

Digitized by Google

quemadmodum medietatem Dicæ, perſolvere tenentur) ſic & medietatem Decimæ, non autem totam. Item quòd contra antiquos Articulos Ferdinandi Imperatoris, in Decreto Sopronienſi, Anni Milleſimi Quingenteſimi quinquageſimi tertij, Articulo Octavo, & aliorum, Decimas ipſis Eccleſiaſticis perſonis non ſecus divendere liceat, quàm ante annos quinquaginta. Et ſi qui alij, in tractatione iſta moderna, Statum Eccleſiaſticum, ac Libertates, Prærogativas, & Conſuetudines ejuſdem, longo uſu obſervatas, ab ipſis Dominis Regnicolis, prioribus Statutis, & Decretis, contrarij ſtatuerentur; vel per Regiam Majeſtatem confirmarentur, proteſtando contradixiſſent, & reclamaſſent, imò contradixerunt & reclamauerunt, coram Nobis, publicè, feriò, & ſolenniter, ad ſuperiores Appellationem petendo. Nam contra Juramentum eorum, ſuper non dilapidatione Bonorum, & proventuum Eccleſiarum, præſtitum; contraque Sanctorum Canonum Conſtitutiones, à priſcis temporibus ſemper obſervatas, nullâ ratione ſe, in alias Conſtitutiones, prioribus prærogantes, conſentire poſſe, idem Status, apertè confirmat; Harum Noſtrarum vigore, & teſtimonio literarum confirmante. Datum Feriâ ſextâ proximâ poſt feſtum Sanctæ Eliſabethæ Viduæ; Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Octavo.

Similes Reclamationes in alijs quoque Generalibus Diætis, nec non alijs quoque tractatibus, factæ ſunt à ſtatu Eccleſiaſtico. reſtat ut qualiter ſe Status, & Ordines Catholici in Patrum Societatis cauſa geſſerint, intelligamus.

Digitized by Google

CAPVT XV.

Supplicatio Statuum, ac Ordinum Regni Catholicorum in cauſa Patrum Societatis IESV, Sacræ Regiæ Maieſtati porrecta.

Sacratiſſima Regia Majeſtas, Domine Domine Clementiſſime. Poſt humillimam obſequiorum noſtrorum oblationem.

MVltis jam annis Patres Societatis Iesu, ita in Regno Hungariæ verſati ſunt, ut & docendo in Scholis, & in Templis concionando, rem Catholicam diligenter, nec ſine fructu promoverint. Et quamvis Catholicorum benevolentiam, hæc res mereatur; alienæ tamen Religionis homines, vehementer in ipſos concitavit, qui id nunc moliuntur, ut eoſdem Patres, Bonis exutos, Regno etiam, ſi poterunt, excludant. Et nuper initium huic Conſilio dederunt; nam cum dicti Patres, freti Regiæ Serenitatis Veſtræ literis, more ante conſueto, locum Conventui Regnicolarum deſtinatum, acceſſiſſent, nec petitis ſuffragijs, nec Conſultis Magnatibus, imò nec præſente quidem mediâ parte Regnicolarum, pauci quidam, privatâ auctoritate, minis, ac vi intentatâ, cum ſumma ignominia ipſos excluſerunt.

Commit-

Committere igitur noluimus, ut in eorundem Patrum defenſione, defuiſſe Officio Noſtro videremur; atque ideò, Regiæ Serenitati Veſtræ, quæ nobis hac in parte fiant gravamina, humillimè ſuggerenda, cenſuimus.

Primò igitur, & Leges Hungariæ, & Vndecimus Articulus Viennenſis Pacificationis clamant, neminem, niſi accuſatum & convictum, à Regiâ Majeſtate, vel Regno, puniri, Bonorumque poſſeſſione deturbari poſſe. Cùm igitur dicti Patres, nec accuſati, nec convicti fuerint, nec quicquam, vel publicè in Regnum, vel privatim in quenquam deliquerint, communis Juſtitia exigit, ne ullâ afficiantur injuriâ. Præſertim, quia ex communi, cum Eccleſiaſticis omnibus titulo, & multi è Jeſuitis, Nobilium parentum Hungarorum origine, communi cum cæteris Regni Nobilibus jure potiantur. Et prætereà, etiamſi (quod ita non eſt) unus quiſpiam, vel alter offendiſſent, nulla tamen Juſtitia dictaret, totum idcircò Ordinem exturbari; nam nec ob unius Nobilis, aut Civis delictum, tota Nobilitas, aut Civitas punitur.

Secundò, In priori Articulo Viennenſis Pacificationis, cautum eſt, ne Nos Catholicos turbari, aut impediri ſinat Regia Serenitas Veſtra, in Religione, ac Confeſſione Noſtra: Nos verò vehementer turbari nos judicamus, ſi Jeſuitis, ea quam ante habebant, liberorum, amicorumque noſtrorum erudiendorum, facultas præcludatur. Nam & liberos, & amicos Noſtros, magnis expenſis extra Regnum mittere cogemur, ſtudiorum gratiâ; & Sacerdotes Parochijs præficiendos, vix, aut ne vix quidem habere poterimus, niſi ex ipſorum inſtitutione. Vt igitur turbari ſe, alienæ Religionis homines cenſerent; ſi Scholæ ipſorum diſſolverentur,

Magiſtri proſcriberentur; Ita, imò magis, turbari Nos exiſtimamus, ſi Jeſuitæ Regno excludantur, quorum diſciplinæ liberos & amicos Noſtros, etiam extra Hungariam, cum ſummo incommodo, committere debemus. Cùm igitur juxta Decreta Anni 1550. Art. 19. & Anni 1543. Art. 12. è Bonis Conventuum deſolatorum, Scholæ erigi debuerint, poſtquam Monachi Præmonſtratenſes, quorum erat Thurocziensis Præpoſitura, deſolatam illam reliquerunt, meritò à Regia Majeſtate, Scholis eſt applicata, poſtquam brevi tempore, Prælatis, eam Præpoſituram utendam reliquiſſet.

Tertiò, In eodem priori Articulo concluſum ſemel eſt, ut quæ ſuperiorum diſturbiorum tempore, utrinque occupata fuêre, rurſus eiſdem reſtituantur: quod violare nituntur, qui Ieſuitas ſpoliandos contendunt.

Quartò, In Octavo Articulo itidem, Majeſtates Veſtræ, in cauſa Ieſuitarum, Ius ſuum Regium, illæſum ſervari voluerunt; nec quod ſemel placuit, diſplicere poſſe, haud obſcurè ſignificârunt. Et Artic. 6. Præpoſituras, in ſuo Statu & fundatione manere jubet.

Quintò, Vt multa paucis complectamur. Cùm ipſi Adverſarij Ieſuitarum advertant, nihil in Ieſuitis inveniri poſſe, ob quod Iure Regni ſpoliari, ac excludi poſſint, id ſolùm objiciunt, Præpoſituram illam, quam poſſederunt, ex ſua fundatione, Prælatis, non Religioſis Ordinibus fundatam, atque ita etiamnum manere debere. Deindè verò Ieſuitas, non ita pridem in Hungariam penetraſſe, quibus antea Regnum caruerit. Verùm hæc quàm invalida ſint, non dubitamus Majeſtatem Veſtram intelligere.

Principio enim Præpoſitura illa, ex primâ ſuâ fundatio-

datione, à Bela Rege factâ, Religioſis Præmonſtratenſibus attributa fuit, & ij tam diu poſſiderunt, donec multò poſt cladem Mohachienſem Prælatis alijs conferri cœpit. Si igitur Regiæ Majeſtati licuit, primâ ejus Præpoſituræ fundatione, Religioſam familiam in Hungaria collocare, & poſtmodum titulo Iurispatronatus, licuit eandem, ab Ordine illo, in cœteros Prælatos transferre; cur non licuerit rurſum, familiam Religioſam illic collocare? præſertim, cùm nullis Legibus, titulus ille Iurispatronatus Regius, coarctatus fuerit, quominus id poſſet. Imò deficientibus Præmonſtratenſibus, juxtà Decreta Regni Anni 1550. Art. 19. Anni 1548. Art. 12. Scholis erigendis Præpoſitura illa applicari debuerit.

Deindè, ſi (ut adverſæ Religionis homines non diffitentur) multa Beneficia Ecleſiaſtica, multa Monaſteria, Præpoſituræ, Abbatiæ, olim Religioſis & Prælatis attributæ, poſtmodum ad ſeculares Dominos translatæ ſunt, à quibus etiam nunc poſſidentur; nec tamen hic clamant, contra primævam fundationem id fieri, ſed in ea re, libenter Regiæ Majeſtatis auctoritatem recognoſcunt; cur non idem faciunt in cauſa Ieſuitarum? Si multa Religioſorum Bona, utpote Benedictinorum, & aliorum, Capitulis attribuere licuit, non adeò multis ab hinc annis, nemine reclamante, certè pari facilitate, Donationem Regiam Ieſuitis factam, validam eſſe oportebit.

Demùm. Quòd non adeò pridem Ieſuitæ in Hungariam acciti ſint, nihil officit: Nam & eorum, qui Ieſuitas oppugnant, adeò noviter, in Hungariam venit Religio, ut memoriam hominum, etiamnum, inventum non excedat: & nullâ Lege, aut Conſuetudine obſtante, licitum fuit, &

Digitized by Google

nunc licet Regiæ Majeſtati, cujuſcunque Ordinis Catholicos Sacerdotes, advocare. & quælibet Religioſa familia, nova aliquando fuit in Hungaria, non ideò tamen excludenda.

Poſſemus longè plura in hanc rem adferre, ſed quia neceſſarium non exiſtimamus, Regiam Serenitatem Veſtram humillimè petimus, ut Patrum Ieſuitarum curam, ac protectionem ſuſcipiat, eoſque in ſuis antiquis Bonis, ac Iuribus conſervet, ac ut juxtà Regales Majeſtatis Veſtræ literas, more antea conſueto, locum ſuum inter Status, ac Ordines retineant, clementer efficiat.

Pro qua Clementia, Regia Serenitas Veſtra, & Deum Iuſtitiæ ſummum Præſidem, faventem habebit, & nos maximo gratitudinis vinculo Regiæ Serenitati Veſtræ, obnoxios reddet.

Clemens, ac benignum reſponſum à Regiâ Serenitate Veſtrâ expectamus.

Regiæ Serenitatis Veſtræ

Humillimi Servi

Status & Ordines Catholicorum Inclyti Regni Hungariæ.

ITa Status Catholici. Quid in propriâ cauſâ efficaciùs, quid ampliùs potuiſſent dixiſſe Patres ipſi? quanquam nec illi tacuerunt, ne ſilentio ſuo, aut cauſæ ſuæ diffidere, aut Articulis contra ſe latis conſentire viderentur. imò & tacuerunt,

runt, & pro causâ ſuâ nihilominùs perorarunt: tacuerunt, quia loqui permiſſi non ſunt; perorarunt, quia innocentiæ ſuæ cauſam oſtenderunt, Memoriali, quod ad Status & Ordines Regni, nomine Societatis univerſæ, in Regno Hungariæ conſtitutæ, conſcripſit P. Petrus Pazmany, Societatis ejuſdem Presbyter, (poſtea verò ArchiEpiſcopus Strigonienſis, ac demùm Sac. Rom. Eccleſiæ Cardinalis Eminentiſſimus, cujus exemplar ad verbum deſcriptum, eſt tale.

CAPUT XVI.

Copia Memorialis ad Ampliſſimos Status, & Ordines Inclyti Regni Hungariæ, à Reverendo Patre Petro Pazmany, Societatis IESV, Sacroſanctæ Theologiæ Doctore conſcriptum.

DIgnam Sapientia, dignam æquitate veſtrâ rem facitis, Proceres Inclyti, quòd tametſi quorundam importunis accuſationibus, fama exiſtimatioque Noſtra proſcindatur, nihil tamen duriùs ſtatuere, de cauſa noſtra velitis, antequam (quod jure, ac more gentium fieri ſolet) alteram nobis aurem integram concedatis. Quantâ igitur maximâ brevitate potero, demonſtrabo, ſalvis Patriæ libertatibus, ac legibus, ſalvâ conſcientiâ, ſalvâ animâ, ſalvis denique Viennenſibus Articulis, acquieſcere vos non poſſe eorum clamoribus, qui nos Hungariâ proſcriptos, graviſſimâ turpitudinis maculâ, inurere ſata-

ſatagunt. Hoc ſi oſtendero, cauſam obtinuiſſe mihi videbor. gravi ſiquidem contumeliâ, vos omnes à me affici arbitrarer, ſi longâ perſuaſione, aut precibus, id apud vos contenderem; ut quod jus, ac fas, quod humana, ac Divina Iura poſtulant, in cauſa noſtra, faciatis: dubitare enim, ſi id agerem, de integritate, æquitateque veſtrâ, videri poſſem.

Principiò igitur, indictâ causâ, nullius criminis accuſatum, nedum convictum, damnare, dulciſſimæque Patriæ focis, ac penatibus interdicere, ſumma cum infamia proſcribere, quàm præpoſterum, quàm ab Hungariæ, imò ab illis ipſis naturæ legibus, quas Gentibus etiam immanitate barbaris impreſſas videmus, alienum ſit, nemo veſtrûm non videt. Nam quantam hujuſcémodi iniquitas, Divini Iudicij ultionem, meritò reformidare poſſit, præſertim, ſi non ab unius cujuſpiam privati Iudicis cupiditate, ſed à totius Communitatis conſenſione proficiſcatur, nihil attinet dicere.

Cùm igitur, nullius nos criminis convincere; ſed quid dico convincere? imò nec accuſare quidem hactenus quiſquam tentaverit, quâ tandem ratione patiemini, in noſtra ſola cauſa, omnium legum ac jurium ordinem inverti? En adſumus, ſi quis eſt, qui ullius nos criminis reos accuſare audeat; non defugimus judicium; conſcij enim nobis ſumus, nihil à quoquam in nobis inveniri poſſe, quo exilium promereamur. Iactant fortaſſe inter ſympoſia quædam de nobis odioſa, (de quo enim bono, hæc talia non jactant?) ſed ubi ad probationes deventum fuerit, tunc intelligetis, ſomnia mera eſſe, quæ jactant. Nec ſolùm in Hungaria, ſed in ipſa etiam Tranſylvania, adeò verſati ſumus inculpatè, ut tametſi Bochkaianis temporibus illinc pulſi ſimus, tamen Princeps

ipſe

Digitized by Google

ipſe Tranſylvaniæ, (& is quidem Evangelicus) ne favorem ſuſpicemini, ſigillo ac ſyngraphâ conſignatum teſtimonium dedit, cujus ipſum autographum, apud me conſervatum, cùm vobis libuerit, producam: in quo his ipſis verbis, teſtimonium dat Innocentiæ noſtræ:

Teſtificamur eoſdem Patres Societatis Jesu, ut bonos, & morum integritate graves viros, ex ſuis Collegijs, Boniſque, non ob ullum delictum, aut notæ alicujus vitium, verùm ad inſtantiam, Romanæ & Catholicæ Fidei, contrariam opinionem ſequentium eſſe deturbatos. Hactenus Principis verba.

Si igitur, vel publicis malefactoribus, ea legibus omnium gentium conceſſa eſt æquitas, ut niſi convicti, puniri nequeant, quantò magis noſtræ hanc innocentiæ ſperare à vobis gratiam, nobis licebit.

Secundò. Eſto (quod falſum eſt) verum eſſe concedamus, Jeſuitam unum atque alterum, & ſi placet, etiam tertium, tale aliquid perpetraſſe, fateamur, ob quod Regno pelli ipſos, fas & æquum videri poſſet; quæ tamen hæc Juſtitia foret, totum Ordinem, Regno Hungariæ incorporatum, poſt tot annorum pacificam Bonorum, ac immunitatum poſſeſſionem, ſtationiſque in publicis Regni Comitijs occupationem, ob unius alteriusve facinus excludere? Si centum aut eò plures Nobiles, ſcelere ſe quopiam adſtringant, ſi Cives aliquod flagitium patrent, num ideò Nobilitas omnis excindenda? Civitas tota ſubruenda?

Tertiò. Plurimi inter Jeſuitas ſunt, qui ſanguinem & à Baronibus, & à Nobilibus ducunt; & ut de me hoc loco dicam, & literis, & poſſeſſione Bonorum docere poſſum, trecentis ab hinc, & eò ampliùs annis, majores meos, Nobi-

Digitized by Google

les fuiſſe; plurimũ pro Ungariæ defenſione ſanguinẽ fudiſſe: cùm igiturLeges Hungariæ, eã Nobilitati prærogativã concedãt,ut nec Reg: Majeſt: necRegnũ ipſum proſcribere quẽquã poſſit,niſi accuſatum,& convictũ,quâ fronte petere quis audeat,ut contraLibertatesPatriæ,nos Vngariâ excludamur?

De cçteris non habeo quod dicam;de me illud liberè profiteor,huic me Hungaricæ Libertatis Privilegio, innixum, coram Deo, coram Regia Majeſtate, coram Inclyto Regno Hungariæ, coram Orbe univerſo, proteſtari, nolle me,vel latum unguem, hac in re, à Juribus Nobilitatis recedere, nec vivum me, niſi legitimè accuſatum ac convictum, Vngariâ exceſſurum.

Quartò. Illi ipſi Viennenſes Articuli,quos urgeri ab adverſarijs video,adeò nihil ipſis patrocinantur, ut validè etiam Innocentiam noſtram protegant,ac tueantur.

Primò, quia in Articulo primo habetur, ut omnibus Statibus, liberum Religionis ipſorum Exercitium abſque ulla turbatione concedatur: Hic jam ab accuſatoribus ſciſcitari libet,ſi Regia Majeſtas ediceret,exempli causâ,ut omnes Ludimoderatores,ac Prædicantes Lutherani, qui aliunde acciti, nativi Hungari non ſunt, Regno pellerentur, an non hic, prædictæ libertatis præjudicium creari cenſerent Accuſatores noſtri, cœlumque terræ miſcerent, ac clamoribus, querelis, convicijs aërem ipſum quem trahimus, onerarent? Age igitur Catholicos omnes adeamus, ſciſcitemur, turbarine ſe, in ſuæ Religionis negotijs arbitrentur, ſi Jeſuitas ejectos Hungariâ videant? quorum operâ, in erudiendis liberis, ac nepotibus ſuis utuntur in Hungaria? maximis aliàs impendijs aliorſum eos amandaturi? quos etiam unà cum cæteris Venerabilibus Eccleſiæ Catholicæ Sacerdotibus, Religionis

ligioni Catholicæ tuendæ,ac ornandæ deſtinârunt? quid ſi hâc tam indignâ Jeſuitarum proſcriptione, gravari ſe Catholici fateantur? conſequens profectò eſt, ut à quibus Jeſuitarum proſcriptio urgetur, id ab illis agatur, ut prior ille Viennenſis articulus, incumbat in ſpongiam, æternùmque obliteratus intercidat.

Secundò. Eodem ipſo priori Articulo Viennenſi habetur, Templa, Eccleſiaſque Catholicorum, per hæc diſturbia occupata, eiſdem rurſus reddenda eſſe. Si eiſdem reſtitui debent; ergo Sellienſe, Thurocienſe, aliorumque locorum Templa, adempta Jeſuitis, per hæc inteſtina diſſidia, eiſdem rurſus reddenda ſunt: & qui eiſdem reddi vetat, id agit, ut primus ille Articulus Viennenſis, valido ictu concuſſus, ruat.

Tertiò. In Sexto Articulo ſic habetur: Præpoſituræ tamen, & Abbatiæ, maneant in ſuo ſtatu, & fundatione. Quòd ſi ita maneant, cui dubium eſſe poteſt, Præpoſituram Thuroczienſem, Ieſuitis cedere debere? Si enim alius quiſpiam illam occupet, in ſuo, quo ante fuit, ſtatu ac fundatione non manebit; ſiquidem Sacratiſſimi Imperatoris, ac Regis Hungariæ fundatio habet, ut Ieſuitæ Præpoſituram illam obtineant. Et hic igitur replico, eum qui Jeſuitas pellendos Regno cenſet, Viennenſes Articulos evanidos fieri debere, contendere. Nec exiſtimare poſſum quicquam aliud ijs ſexti Articuli verbis, voluiſſe Status, quàm ut Præpoſituræ, & Abbatiæ, in eodem Statu maneant, in quo fuère ante Bochkajanos motus; ſi enim id agerent, ut ijſdem Ordinibus Religioſis, Præpoſituræ, Abbatiæque attribuerentur, quibus primâ fundatione attributæ ſunt, & Benedictini, & Præmonſtratenſes, & aliorum Ordinum Monachi quàm plu-

rimi revocandi eſſent, adimendaque complura Bona Eccleſiaſtica Baronibus ſecularibus, ut ad primæ inſtitutionis formam revocarentur. Denique Sanctus Benedictus Venerabili Capitulo Strigonienſi adimendus, & alia plurima Beneficia, immutanda forent. Deinde quâ ratione Præpoſitura Thuroczienſis, à Bela I. fundata, Religioſæ familiæ primùm attributa fuit, poſtea verò, nemine reclamante, Reges Hungariæ Prælatis ſecularibus, eandem contulêre, ita par prorſus auctoritas, penès Coronam Regiam fuit, ut rurſus Præpoſituram illam, Religioſæ Familiæ conferret.

Quartò In Octavo Articulo Viennenſi, ita Regia Majeſtas ſua, poſtulato Regnicolarum quorundam (neque enim hoc eſt totius Hungariæ votum) de ejectione Ieſuitarum reſpondet, ut ſe ſuis Regijs juribus inhærere dicat; nec quod ſemel placuit, diſplicere poſſe, tacitus profiteatur: cui & nos ita innitimur, ut ſuæ Majeſtatis Donationem ſemel factam, irritam fieri, nullâ ratione conſentiamus.

Sed ne abuti patientiâ veſtrâ videar, Inclyti Ordines, ſi diutius tam liquidæ, tam juſtæ cauſæ Patrocinium perſequar, illud ſolùm à vobis peto, ut cognitâ æquitate petitionis noſtræ, non ſolùm votis exilia noſtra anhelantium non acquieſcatis, verùm etiam, cognitam innocentiam noſtram teſtari velitis, Articuloque conſcripto noſtræ innocentiæ patrocinemini; cujus veſtræ æquitatis mercedem, ab illo Iuſtitiæ ſummo Præſide Deo expectetis. De

nobis

nobis verò omnia illa polliceri vobis poteritis, quæ de Patriæ amantiſſimis Civibus fas eſt polliceri.

Jlluſtriſſimar. Reverendiſs. &c. Dominationum Veſtrarum

Humillimus Servus

PETRVS PAZMANY, Societatis IESV SS. Theologiæ Doctor.

APerta demonſtrabatur veritas, ſed quemadmodum ante aures non habuerunt ad audiendum adverſarij, ſic nec oculos ad cognoſcendum.

Intellexit hanc Patrum è Collegijs, ac Bonis expulſionem Sanctiſſimus Dominus Noſter Paulus Papa Quintus, qui pro paſtorali cura, quam ut communis Eccleſiæ parens, de omnibus filijs ſuis geſſit, per Breve Apoſtolicum Regi Hungariæ tranſmiſſum eundem rogavit, ut Societati quamprimum, ablata Bona reſtitui mandaret. adduco verba ipſius Pontificis.

CAPUT XVII.

Breve Apoſtolicum Sanctiſſimi Domini Pauli Papæ Quinti Ad Matthiam Hungariæ Regem.

CHariſſime in Chriſto fili noſter, Salutem &c. Præteritis perturbationibus Regni tui Hungariæ, expulſi fuerunt, quatuor ab hinc Annis, ut accepimus, ex Collegio Sellienſi, à fel: rec. Gregorio XIII. Prædeceſſore Noſtro fundato, dilecti filij, pij, ac Religioſi viri, Sacerdotes Societatis Iesv, Bonaque Collegij, ab Illyeshazio de facto occupata. Quanto autem cum Catholicæ Religionis detrimento id factum fuerit, omnibus notiſſimum eſt. Propterea valdè ſoliciti ſumus, ut Collegium in priſtinum reſtituatur: ideoque à Majeſtate tua, etiam atq; etiam petimus, ut Collegium, & ejus Bona quamprimum reſtitui mandes. Quod tantò vehementiùs petimus, quantò magis certi ſumus de tua pietate, & Catholicæ Religionis zelo. Deum quæſumus ut te continuâ protectione cuſtodiat, & Majeſtati tuæ, cum omni charitatis affectu benedicimus. Dat. Romæ, apud S. Petrum VIII. Idus Novemb. M. DC. VIIII. Pontificatus &c. Quinto.

CAPUT XVIII.

Quomodo Præpoſitura Thurocienſis, Societate Bonis ſpoliatâ, collata ſit Franciſco Cardinali Forgach, ArchiEpiſcopo Strigonienſi.

NOn potuit Matthias Rex, pro ſuo deſiderio, & erga Sanctam Sedem Apoſtolicam ſingulari Reverentia, voluntati Pontificis optimi, (fumante nimirum etiam tunc, ſub cineribus tumultu Bochkajano) reſpondere. Nihil tamen ſponte ſua Rex ipſe omiſerat quod ad Patrum Societatis Ius non interruptum demonſtrandum facere poſſe videbatur: cum itaque, ut ſupra memini, necdum integrum eſſet Patribus Bonorum ſuorum adminiſtrationem ſub proprio nomine ſuſcipere, contulit illam Illuſtriſſimo Cardinali Franciſco Forgach Archiepiſcopo Strigonienſi, in hunc, qui ſequitur, modum.

NOs Matthias &c. Memoriæ commendamus, tenore præſentium, quibus expedit univerſis. Quòd cùm Nos, ad demiſſam fidelium Noſtrorum Univerſorum Statuum & Ordinum Regni Noſtri Hungariæ ſupplicationem, tunc in Generali Diæta Conſtitutorum Superioribus, non ita diu præteritis temporibus, Præpoſituram B. Mariæ Virginis de Thurocz reſtituerimus, eandem ſimul cum omnibus, Caſtris, Oppidis, Villis, Poſſeſſionibus, Prædijs, & alijs cunctis pertinentijs, & Juribus poſſeſ-

ſiona-

ſionarijs, ubivis, & in quibuſcunq; Regni iſtius Noſtri Hungariæ Comitatibus exiſtentibus, habitis, ad eandem Præpoſituram, de jure, & ab antiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus, pariter cum omnibus ejuſdem Juribus, Libertatibus, Prærogativis, Proventibus, & alijs quibuſcunque emolumentis, quovis nominis vocabulo vocitatis, Fideli Noſtro, Nobis ſyncerè dilecto, Reverendiſſimo in Chriſto Patri, Domino Franciſco Forgach de Ghymes, S.R.E. Presbytero Cardinali, & ArchiEpiſcopo Strigonienſi, Locique ejuſdem Comiti perpetuo, Primati Hungariæ, Legato nato, Summo & Secretario Cancellario, Conſiliarioque Noſtro, dederimus, ac contulerimus. Atque hujuſmodi benignam Noſtram Collationem, eâ lege & conditione valere, vimque, ac robur habere voluerimus, ſecundùm quod, & ad quæ, ipſe quoque Cardinalis Strigonienſis, tempore conſecutionis dictæ Præpoſituræ, in datis per eundem literis Reverſalibus præſtanda, ſe obtulit, & obligavit. Quâ in re, ut firmitas benignæ Noſtræ diſpoſitionis, futuris perpetuis temporibus conſtare poſſit, roburque ſuum habeat, præſentibus literis Noſtris Aſſecuratorijs, cautionem facimus; quòd dum prædictam Præpoſituram denuò vacare contigerit, nemini collationem inpoſterum per Nos, vel etiam Succeſſores Noſtros legitimos Hungariæ Reges, aliter, quàm juxtà Reverſales memorati Cardinalis, & ArchiEpiſcopi Strigonienſis, de ejuſdem Præpoſituræ redituum adminiſtratione, Majeſtati Noſtræ datas, fieri volumus. Quando porrò, per deceſſum prædicti Domini Cardinalis, & ArchiEpiſcopi Strigonienſis, moderni videlicet, præfatæ Præpoſituræ Poſſeſſoris, aut aliorum deinceps quibus à Nobis, & Succeſſoribus Noſtris, Præpoſituræ adminiſtratio committetur, vacare

com-

Digitized by Google

eam Præpoſituram contigerit, Bona omnia Oeconomica, quævis item mobilia æquè, ac immobilia, Præpoſituræ Thuroczienſis, tam Noſtro, quàm præfatorum Succeſſorum Noſtrorum legitimorum Regum Hungariæ tempore, integra conſervari, & Proviſorem, ac Officiales, ſeu Adminiſtratores dictæ Præpoſituræ, Bonorum, & pertinentiarum, juxtà prætitulatas literas Reverſales Nobis datas adminiſtrari clementer volumus, defectu & difficultate, abſque omni. At licet tempore hujuſmodi vacantiæ, Camera Noſtra Hungarica, vel cui ex benignâ Noſtrâ, vel Succeſſorum Noſtrorum voluntate, & Commiſſione, id mandatum fuerit, protectionem, & Aſſiſtentiam, iiſdem Adminiſtratoribus, & Proviſoribus, præfatæ Præpoſituræ, præſtare debebit, nullo tamen modo in reditus, Bonaque Oeconomica, mobilia item & immobilia dictæ Præpoſituræ, ſeſe ingerere, atque contra formam & tenorem dictarum Reverſalium, in quoſuis alios uſus, percipere, aut avertere poſſint, aut valeant. In quorum omnium fidem & teſtimonium, has Noſtras literas, manus Noſtræ ſubſcriptione, Sigillique Noſtri, quo ut Rex Hungariæ utimur, impreſſione munitas, dandas duximus & concedendas. Datum in Civitate Noſtra Vienna, die vigeſimâ ſextâ Menſis Maij, Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo, Decimo Tertio. Regnorum Noſtrorum, Romani Primo, Hungariæ, & reliquorum Quinto, Bohemiæ verò Anno Secundo.

Matthias.

Digitized by Google

REVERSALES

Franciſci Forgach, S. R. E. Cardinalis Archi-epiſcopi Strigonienſis.

NOs Franciſcus Forgach de Ghymes, S.R.E.Cardinalis & Archiepiſcopus Strigonienſis&c. Memoriæ commendamus, tenore præſentium, ſignificantes, quibus expedit univerſis. Quòd cum Reverendi Patres Societatis Iesv, per Bochkaianam rebellionem, abſque Iuris ordine, in ſolum odium Catholicæ fidei, Præpoſiturâ Thurocȥienſi privati fuerint, idcircò, juxta collationem ejuſdem Præpoſituræ, à Sac. Cæſ. Regiaque Majeſtate, ante Patribus factam, & diuturno uſu roboratam, nunc quoque de Jure, ad eoſdem Patres, dicta Præpoſitura ſpectare dignoſcitur. Quam ob rem, ejus Beneficij adminiſtrationem, à Sacratiſſ: Cæſ: Regiáq; Majeſt: eouſq; nobis commiſſam, donec firmior aliqua ratio Societatis reſtituendæ, iniri poſſit, eâ ratione, ac expreſsâ obligatione Nos accepiſſe fatemur, ut univerſos ejuſdem Præpoſituræ proventus, ac utilitates omnis generis, Patribus Societatis adminiſtrari curemus per Officialem ab eiſdem Patribus approbandum, eiſdemque obſtrictum, ac in ratione reddenda, ab ipſis dependentem. Quandocunque autem, Suæ Sacratiſſ: Majeſtati, aut Succeſſoribus ſuæ Majeſtatis viſum fuerit, ut Patribus dicta Præpoſitura reſignetur, abſque ullâ morâ, ac renitentiâ, ſpontè eam reſignabimus. Inſuper juxtà benignam Suæ Majeſtatis voluntatem, Conventum Thuroczienſem, ſtatim ac de facto, poſt adeptam poſſeſſionem Præpoſituræ reſtituemus. In quorum fidem, haſcè, Sigillo, & manus Noſtræ ſub-

ſubſcriptione roboratas literas, Sacratiſſ: Majeſtati Cæſareæ & Regiæ offerimus. Actum Tyrnaviæ die 1. Menſis Maij Anno 1613.

Cardinalis Strigonienſis.

CAPUT XIX.

Regales literæ, quibus ad publica Regni Comitia, Patres Societatis Iesv, tanquam vera & legitima Regni Hungariæ membra vocati ſunt; non obſtantibus Articulis contra eoſdem latis.

HAbuiſſe Patres Societatis Iesv, in Regno Hungariæ, Ante Articulos Pacificationis Viennenſis Poſſeſſiones, & Jura ſtabilia, habitoſque fuiſſe pro veris ac legitimis Regni Membris, jam ſuperiùs probavi; & manifeſtè inſuper conſtat, ex Concluſione Articulorum Anni 1587. in quâ licet omnes & ſingulos Articulos, à Statibus compoſitos, & ſuæ Majeſtati porrectos, Rudolphus Imperator, ratos & gratos habuerit, noluit tamen conſenſum Regium præbere duobus; quorum alter continetur Art. 44. qui ſic habet;

SVpplicant quoque ſuæ Majeſtati humillimè Status, ut Præpoſituram Thuroczienſem,

ſem, Sua Majeſtas indigenæ alicui, benè meritæ perſonæ, quæ intra Anni ſpatium, Conventum illum, pro bono publico, Executionibuſque faciendis reſtauret; conferat. Et de hac re, ſua Majeſtas clementer deliberabit.

Huic enim nullâ ratione voluit conſentire; reddiditq́; rationem, nimirùm, quod Præpoſituram illam jam antè Societati pro fundando Collegio contuliſſet; ut ex Decretorum dictorum Concluſione apparet; quæ eſt hujuſmodi.

NOs itaque præmiſsâ ſupplicatione, dictorum fidelium Noſtrorum ſubditorum, Dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, & Nobilium, cœterorumque Statuum, ac Ordinum, prædicti Regni Noſtri Hungariæ, & partium ei ſubjectarum, clementer admiſsâ, prædictos univerſos, & ſingulos Articulos, modo præmiſſo nobis præſentatos, præſentibuſque literis noſtris, de verbo ad verbum inſeri, & inſcribi facientes, eoſdemque ac omnia, & ſingula in eis contenta, (demptis duobus Articulis; uno de vinis Auſtriacis, de quibus in proximo Inferioris Auſtriæ conven-

tu

Digitized by Google

tu tractabitur. Altero autem de Præpoſitura Thuroczienſi,quæ per Nos,pro fundando Collegio, inſtituendoque in Hungariâ Gymnaſio, & Seminario,ſpiritualium Hungaricarum perſonarum Ieſuitis eſt collata,) ratos, gratos, & acceptos habentes, eiſdem noſtrum Regium conſenſum, benevolum pariter & aſſenſum præbuimus: illoſque & quævis in eis contenta, auctoritate noſtrâ Regiâ, acceptavimus, approbavimus, & confirmavimus &c.

Deinde idem evincitur ex Regalibus Literis,quibus ijdem Patres ad omnia Generalia Comitia,& Diætas Regni paſſim, nullo hominum contradicente,à Regibus ſunt invitati. Extant etiamnum literæ Anni 1603.die 5.Decembris à Rudolpho Imperatore tranſmiſſæ, quarum titulus eſt talis.

Honorabilibus, ac Religioſis N. Rectori, cœteriſque Patribus Societatis IESV, in Collegio Præpoſituræ Thurocienſis commorantibus, ſimul vel diviſim conſtitutis &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Continentia literarum ſequitur hoc modo.

Digitized by Google

Venerabiles,ac Religioſi,Fideles Nobis dilecti. Quoniam diſſolutis nuper &c. Quapropter, Fidelitati Veſtræ, harum ſerie,clementer,ac firmiſſimè committimus, & mandamus, ut ad præfatum diem, & locum, peculiares, ac ſufficientes veſtros Nuntios, è medio Veſtri, ſine ulla mora & excuſatione, expedire, & mittere debeatis, qui illic, unà cum Dominis Prælatis, Baronibus, Magnatibus, & Nobilibus, cœteriſque Statibus, & Ordinibus dicti Regni Noſtri Hungariæ, & partium ei ſubjectarum, de hujus belli ulteriori proſecutione, atque ijs omnibus, quæ ad publicam ejuſdem Regni Noſtri defenſionem, & eliberationem, accommodatiſſima videbuntur, tractare, & in medium conſulere debeant. Curandum autem vobis omninò erit, idque planè ita fieri volumus, ut pro maturandis, & confeſtim inchoandis tractatibus, prædicti veſtri Nuntij, ad præfixum diem, certo certius Poſonij compareant. Secus, ſub pœna Decreti non facturi. Datum in Arce noſtra Regia Pragenſi, quintâ die Menſis Decemb. Anno Domini 1603.

Rudolphus.

Franciſcus Forgach.
Epiſcopus Nitrienſis.
Himelreich.

Digitized by Google

Similes per omnia acceperunt Patres etiam anno hujus ſeculi ſexto, immediatè ante Pacificationem Viennenſem Matthiâ Archiduce, Plenipotentiali, à Rudolpho Imperatore conſtituto.

Et ſanè ſi inter Regnicolas numerati Patres non fuiſſent, ſi cum cæteris Prælatis ſuo loco ac Ordine non ſediſſent, quâ fronte obſecro, univerſi Status ac Ordines Catholici, unanimi conſenſu, & voce, ſupplicaſſent ſuæ Regiæ Maj: Ut Patrum Jeſuitarum curam, ac protectionem ſuſcipiat, eoſque in ſuis antiquis Bonis, ac Juribus conſervet, ac ut juxta Regales Majeſtatis ſuæ literas, more antea conſueto (jam ergo nova res minimè erat, ſed uſu & conſuetudine, nullo hominum contradicente, roborata): locum ſuum inter Status & Ordines retineant (ergo habuerunt) clementer efficiat. De hoc ergo dubitare non licet. quid verò conſtitutis contra Societatem Articulis actum ſit, quo loco Patres Societatis à Regibus Vngariæ habiti, inquirendum.

Certè ſi ad Diætas Regni Generales, Prælati duntaxat, & Barones, Proceresque, ac Nobiles Regni convocari debent, ut wlad. Decr. 2. Art. 26. ac alibi clarè habetur, neceſſe eſt Societatis Patres in eorum numero fuiſſe, etiam factis contra eoſdem Articulis non obſtantibus; quandoquidem & illo eodem Anno quo Articulus Viennenſis conditus eſt, & inſequentibus ſeptimo, & octavo, ad eadem Generalia Regni Comitia Regalibus ſemper literis, non ſecus ac ante, Patres ſunt invitati.

Indicta erant à Cæſare Rudolpho Comitia Viennenſi Pacifi-

Pacificatione jam peractâ Anno videlicet hujus ſæculi ſeptimo, primùm quidem ad feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ,poſtea verò ad feſtum Sancti Jacobi, id eſt, 25. die Julij ejuſdem Anni dilata; ad ea invitatus eſt à Rege Regalibus peculiaribus,Collegij Thuroczienſis Rector P. Alexander Dobokay. Anno ſimiliter octavo convenire juſſi ſunt Proceres, ac Regnicolæ univerſi, ab eodem Rudolpho Imperatore ad undecimam diem Menſis Martij, invitati ſunt ad eam Patres, (adjungerem ad verbum literas,niſi ejuſdem rei frequentiori repetitione tædium me pariturum arbitrarer Lectori. Ac denique ipſemet Sereniſſimus Matthias, deſignatus Bohemiæ Rex, qui tractationi Pacis Viennênſis, nomine, & auctoritate Imperatoris Rudolphi Plenipotentiarius præfuit; poſteaquam reſignatis ab eodem Rudolpho Cæſare, Sacris Regni Hungariæ Clenodijs, ac Diademate, nec non etiam Regni ipſius Gubernaculis in prædictum Matthiam, fraterno affectu tranſlatis, pro Coronatione Comitia indixiſſet, non obſtantibus Articulis Viennenſibus, ipſos tamen Patres,more antiquo ac ſolito ijſdem intereſſe, ac ſuis locis ac Ordine vota, ac ſuffragia dare juſſit, peculiaribus literis Regalibus ad eoſdem datis,quemadmodum etiam prædictę, hæ, (ſicut & reliquæ omnes) præ manibus ipſorum Patrum exiſtunt.

Horum omnium veſtigijs, laureato pede inſiſtens Auguſtiſſimus Imperator, FERDINANDUS TERTIUS, modernus Rex, & Dominus noſter Clementiſſimus,à ſuſcepta, poſt obitum FERDINANDI SECUNDI, pij Imperatoris, ac Patris dilectiſſimi, Regni Hungariæ Gubernatione, nulla indixit Comitia, ad quæ pariter Societatis Patres clementiſſimè invitare omiſiſſet. Teſtantur id ternæ Regales à Præpoſi-

Digitized by Google

poſitura Thuroczienſi receptâ, ad Collegij Tyrnavienſis diverſos Rectores, tranſmiſſæ literæ, ſicut & ad Superiorem Collegij Sopronienſis, tanquam Abbatem Pornenſem, ad hæc eadem quæ aguntur Comitia invitatum; quæ quoniam toti Regno conſtant, nolo illis deſcribendis immorari. Itaque ad interruptam tantiſper Imperatorum, ac Regum Hungariæ ſeriem revertamur, & producamus, quas ſupra promiſimus pijſſimi Imperatoris Ferdinandi Secundi ſanctæ mem: literas ad Archiepiſcopum Strigonienſem, Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Petrum Pazmany, de reſignatione Præpoſituræ Thuroczienſis tranſmiſſas.

CAPUT XX.

Literæ Imperatoris Ferdinandi Secundi, ad Archiepiſcopum Strigonienſem.

FERDINANDVS, &c.

REverendiſſime in Chriſto Pater, Fidelis, Nobis ſyncerè Dilecte. Poſteaquam quondam Sacratiſſima Cæſarea, Regiaque Majeſtas, Rudolphus Imperator, & Rex Hungariæ, Patruelis, & Prædeceſſor noſter obſervandiſſimus piæ rem: pro pio, & zeloſo affectu, quo erga Nationem quoque Hungaricam ferebatur; cupiens etiam pacis temporibus Regni Statum effloreſcere, & Nationis famam eatenus quoque celebrem reddi, bonarum Artium ſtudia, & diſciplinarum Scholaſticarum Exercitia, Iuventu-

Digitized by Google

tis erudiendæ causâ, erigenda eſſe conſtituerat. Ad quam quidem Provinciam peragendam, Religioſos Viros, Patres Societatis Jesu, utpote quorum peculiare hoc inſtitutum eſt, adhibuerat, quorum labores, ac in cultu divino, & liberalibus diſciplinis promovendis, ſolicitudinem atque diligentiam fructu non caruiſſe, palàm eſt. Et quidem pro ſuſtentatione eorum, quo inſtituto ipſorum tanto expeditius invigilare, incumbereque valerent, Præpoſituram Thuroczienſem contulerat; in cujus quietâ, ac pacificâ poſſeſſione, compluribus annis permanſerunt, donec ſuperioribus annis in diſturbijs Bochkaianis, per factioſos, ipsâ Præpoſiturâ, & Bonis ad eam pertinentibus exuerentur, legeque ſtatutâ caviſſent, ne Societas præfata Bona ſtabilia, in Hungaria, (prout in Viennenſibus Conſtitutionibus exſtat) haberet. Ne tamen per huiuſmodi Conſtitutiones, eâ in parte præjudicium, præfatis Religioſis Patribus fieri annueret, eadem ſua Majeſtas, Juribus ſuis nihilominus ſeſe inſiſtere declaraverat. Nos proinde, antiquis Prædeceſſorum Noſtrorum fundationibus, & conceſſionibus nihil derogari permittentes, cum & alioquin Bona deſolatorum Monaſteriorum, ad uſus erigendarum Scholarum, ex Conſtitutionibus Regni, Regibus convertere integrum ſit, eandem fundationem tanquam legitimam, ſalvam, integram, & ſuis Juribus reſtitutam eſſe volentes, etiam apprehenſioni, uſui, & poſſeſſioni præfatæ Præpoſituræ, & univerſorum Bonorum ad eam ſpectantium, præfatæ Societati, licentiam & facultatem fecimus. Quoniam autem eadem Præpoſitura, hactenus præ manibus fidelitatis veſtræ, ex annuentia, & Conceſſione quondam Matthiæ Romanorum itidem Imperatoris, & Regis Hungariæ, Prædeceſſoris noſtri, immediatè habea-

tur,

tur, benignè vos requiſitos, & monitos eſſe voluimus, ut cum dictam Præpoſiturã ad Reſidentiam Tyrnavienſem reverti debere, benignè ordinaverimus, & ſimul Juribus ſuis reſtitutam velimus, prædictam Præpoſituram, è manibus veſtris emittere, ac manibus Commiſſariorum noſtrorum ſpecialium, quibus id commiſimus, pleno cum Jure tradere, & conſignare velitis, & debeatis. Benignæ, & omnimodæ voluntati Noſtræ eatenus ſatisfacturi. Cui in reliquo, gratiâ & Clementiâ Noſtrâ Cęſareâ & Regiâ, benignè propenſi manemus. Datum in Civitate Noſtra Vienna, die 24. Menſis Maij 1621.

Ita quidem voluit, mandavitque pijſſimus Imperator, ſed recrudeſcentibus iteratò tumultibus Bethlehemi Principis, executioni dari non potuit voluntas Cæſarea; & Præpoſitura remanſit in manibus Cardinalis, donec eo etiam è vivis ſublato, Ferdinandus Tertius, modernus Rex, & Dominus noſter Clementiſſimus, pro ſingulari ſua erga Societatem Ieſu benignitate, eandem tandem, poſtliminiò, Patribus Societatis Ieſu, (adlaborante multum Illuſtriſsimo & Reverendiſs: ArchiEpiſcopo Strigonienſi Domino Georgio Lippay, Epiſcopo Agrienſi & ejuſdem Majeſtatis per Hungariç Regnũ Aulç Cancellario; nunc autẽ Archiepiſcopo Strigoniẽſi) reſtituere clemẽtiſſimè eſt dignata, prout docẽt ejuſdẽ Sac: Cæſ: Regiæq; Majeſtatis novæ Donationales Añ: Dñi 1637. die primâ Maij emanatæ, quarum tenor eſt iſte.

CAPVT XXI.

Nos Ferdinandus Tertius &c.

MEmoriç commendamus tenore præſentium, ſignificantes quibus expedit univerſis, Quòd cum Superiorum temporum, & annorum decurſibus,

ſibus,obortis paſſim in Chriſtianitate, potiſſimùm in hoc Regno Hungariæ, opinionum circa Religionem perturbationibus, & erroribus,è quibus,inter alia incommoda,illud quoque non poſtremum emerſit,ut Societas IESV, quæ in univerſa Eccleſia Dei, tantâ pietatis, doctrinæ, ſanctitatis Religioſæ laude,& gloriâ elucet, fructuſque ampliſſimos, tum in extirpandis erroribus, & Hæreſibus, tum in inſtituenda, & ad omnem Chriſtianam pietatem efformandâ juventute, toto orbe producere dignoſcitur, etiam abſque alio Juris proceſſu, à poſſeſſione Bonorum ſtabilium, ſignanter autem Præpoſituræ Thurocienſis, ſuſpendi, & privari, temporum incommoditate ita ferente, debuerit: quam nihilominùs Societati factam incommoditatem, ita gloriosæ reminiſcentiæ prædeceſſores Noſtri, pro ſuâ erga Devm pietate, Societatemque inclinatione, ſemper temperatam voluerunt, ut Donationes ejuſdem Præpoſituræ, applicationeſque ab ijſdem prædeceſſoribus Noſtris, Societati datas, & Conceſſas, revocatas, & extinctas aut caſſatas, nullatenus vellent;quin potius,tametſi in poſſeſſione actuali Præpoſituræ conſervare Societatem non poſſent, ejus tamen fructibus, & emolumentis carere, non ſunt paſſi: ſed & ijs, quibus medio tempore dictam Præpoſituram conferre oportuit, eo pacto collatam fuiſſe, ut Societati ſua Iura ſeruarentur integra, fructuſque Præpoſituræ, pro ratâ, uſibus ejuſdem Societatis adminiſtrarentur. Cum itaq; eandem Societatem, per Donationes, & Collationes, Conſenſuſque Regios, annuentiam inſuper, & Confirmationem dictæ Præpoſituræ Thurocienſis, à Sede Apoſtolicâ obtentam, poſſediſſe, in ejuſque pacifica poſſeſſione compluribus annis perſtitiſſe, neque niſi eorum temporum ratione

ſic

ſic ferente, modo ſupra facto, ab eorum quidem actuali administratione ſuſpenſam, Jure nihilominus, & fructibus ejuſdem gaviſam fuiſſe, in recognitionem Juris, & poſſeſſionis ejuſdem animadverterimus. Exigente id à Majeſtate Noſtra, Iuſtitiæ inprimis ratione, deinde etiam ſingulari Noſtrâ Clementiâ, & propenſione erga prædictam Societatem quam in omnibus pietatis Studijs, in Religione Catholicâ, imbuendiſque fide, & virtutibus Chriſtianis populum animis, cumulatiſſimos ubique fructus producere conſpicimus, ſublatis etiam Dei beneficio, temporum difficultatibus, quibus Societas prædictæ Præpoſituræ actuali & integro uſu gaudere prohibita fuit; eidem Societati, ſæpedictam Præpoſituram Thurocienſem, Conventus Beatiſſimæ Virginis de Thurocz, in Comitatu Thuroczienſi exiſtentem, hactenus præ manibus fidelis Noſtri, quondam Reverendiſsimi in Chriſto Patris, Domini Petri, S. R. E. Cardinalis Pazmany, Archiepiſcopi Strigonienſis &c. habitam, ab eoque tentam & poſſeſſam, quamúe olim Rudolphus Imperator, & Rex felicis reminiſcentiæ, in anno adhuc Milleſimo Quingenteſimo Octoageſimo Sexto, per mortem & deceſſum, Reverendi quondam Stephani Radetij Epiſcopi Agrienſis &c pro tunc ejuſdem Præpoſituræ, ultimi, veri, & legitimi Poſſeſſoris, de Iure, & facto vacantem auctoritate Iuriſpatronatus Noſtri Regij, quo in omnibus prædicti Regni Noſtri Hungariæ Eccleſijs, more Divorum quondam Hungariæ Regum, prædeceſſorum Noſtrorum bonæ memoriæ, optimo Iure utuntur, ſimul cum omnibus ejuſdem Præpoſituræ Bonis temporalibus, utpote totalibus Caſtro Znio, nec non Oppidis, Villis Telonijs, poſſeſſionibus, Prædijs, Curij portionibus, & quibuslibet Iuribus poſſeſſionarijs, tam

in dicto Thurocziensi, quàm verò in alijs quibuſcunque ejuſdem Regni Comitatibus, exiſtentibus & habitis, ad eandem Præpoſituram Thurocziensem, de Iure & ab antiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus, modis & Conditionibus, in prædictis literis Rudolphi Imperatoris, & Regis ſpecificatis; ſignanter autem, quæ de Conventu Thurocziensi, & Alumnorum intertentione expreſſa habentur, conceſſiſſe, & dediſſe, donaſſeque & contuliſſe dinoſcebatur. Nos quoque poſt deceſſum præmemorati Cardinalis Pazmany, hactenus poſſidentis, in forma per antedictum Rudolphum Imperatorem factâ, rurſum dictæ Societati, reſignatam, reſtitutamque eſſe volumus & declaramus, auctoritateque Noſtrâ Regiâ, denuò Societati Collegioque ejuſdem Tyrnavienſi, applicamus, damus, donamus, & confirmamus, Iure perpetuo & irrevocabiliter, tenendam, poſſidendam pariter & habendam, pleno jure, & cum effectu, harum Noſtrarum, pendentis, & authentici Sigilli Noſtri, quo ut Rex Hungariæ utimur, munimine roboratarum literarum. Salvo Iure alieno. Datum per manus fidelis Noſtri Nobis dilecti, Reverendi Georgij Lippay de Zombor, Epiſcopi Eccleſiæ Agrienſis, perpetui Comitis Heveſienſis, Conſiliarij Noſtri, & Aulæ Noſtræ, per Regnum Noſtrum Hungariæ Cancellarij, in Civitate Noſtra Viennæ Auſtriæ, die prima Menſis Maij, Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Trigeſimo Septimo. Regnorum Noſtrorum Romani, Primo; Hungariæ, & reliquorum Vndecimo, Bohemiæ verò Anno Nono.

Ferdinandus.

Georgius Lippay
Epiſcopus Agrienſis.

Laurentius Ferenczffi.

Digitized by Google

Idipſum videre eſt ex Decreto ejuſdem Sac: Cæſ: Regiæque Majeſtatis ad Inclytam Cameram Poſonienſem dato; cujus Copiam pariter ſubjungo.

Ferdinandus Tertius &c.

SPectabilis ac Magnifice, necnon Egregij, Fideles, Nobis Dilecti. Poſteaquam decedente ex hac vita Fideli Noſtro Reverendiſſimo in Chriſto Patre, Domino Petro, S. R. Eccleſiæ Presbytero Cardinale Pazmany, Archiepiſcopo Strigonienſe, in cujus manibus & poſſeſſione, Præpoſitura Conventus Sanctæ Mariæ de Thurocz, in Comitatu Thurocz ienſi exiſtens, habebatur, ad benignam Noſtram de eadem Præpoſitura Ordinationem, & Regiam diſpoſitionem devenerit; Noſque dictam Præpoſituram, juxtà prædeceſſorum Noſtrorum Regum Hungariæ factas Fundationes, Religioſis Patribus Societatis IESV, Collegij Tyrnavienſis, rurſus aſſignandam, juribuſque ſuis reſtituendam velimus; Fidelitates veſtras clementer requirendas duximus, ſeriò & firmiter mandantes, quatenus debitam rationem inire debeatis, ut delegatis ad hoc idoneis ex Camera iſta Noſtra perſonis, dictam Præpoſituram, cum omnibus Bonis, Juribus poſſeſſionarijs, pertinentijs, & emolumentorum perceptionibus, ad eandem de Jure & ab antiquo ſpectantibus, & percipi ſolitis, tradere, manibuſque eorum, ad rationem Collegij Tyrnavienſis, juxtà benignam Noſtram, per præſentes declarationem, intimatam reſolutionem, conſignare non omittatis. Peractæ executionis modum poſtmodum perſcripturi. Quibus in reliquo, gratiâ & benigni-

nignitate Noſtrâ propenſi manemus. Datum in Civitate Noſtra Vienna, die 1. Menſis Maij, Annô Domini 1637.

Ferdinandus.

Georgius Lippai
Epiſcopus Agrienſis.

Laurentius Ferencʒffi.

Ac tandem ex Relatione Generoſi Domini Emerici Ordodi, Sac: Cæſ: Regiæque Majeſtatis Cameræ Hungaricæ Regiſtratoris, & in Negotio Inſtallationis Patrum Societatis, in præfatam Præpoſituram Thurocʒienſem, ab eadem Camerâ Inclytâ Decreto ſingulari Conſtituti Cōmiſſarij, quam peractâ Patrum inſtallatione memoratæ Cameræ dedit: eſt hujuſmodi:

Illuſtriſsime Domine Comes,
Et Generoſi Domini, Domini & Patroni gratioſiſsimi,
Servitiorum meorum humilium, perpetuam
ſubjectionem.

VIgore Decreti Inclyti Conſiſtorij die ſeptimâ præſentis Maij, in negotio Inſtallationis Reverendorum Patrum Societatis Iesv, Collegij Academici Tyrnavienſis, ad Præpoſituram B. M. V. de Thurocz, mihi aſſignati, ſtatim illâ die, cum dictæ Societatis ad id deſigna-

ſignatis Patribus, Tyrnaviam uſque iter aggreſſi fuimus, ubi continuis tribus diebus, propter certa quædam impedimenta, moram traxiſſe debuimus. quarto poſtea die, cum Adm. Reverendis Patribus, Dominis, Georgio Forro, prætactæ Societatis IESV Collegij Academici Tyrnavienſis Magnifico Rectore, altero Georgio Dobronoki, prætereà moderno Patre Rectore Collegij Poſonienſis: P. Nicolao Weſſeleni, & uno adhuc alio prælibatæ Societatis Coadjutore, Selliam verſus profecti fuimus, ubi in itinere, circiter uno & medio milliari ab Oppido Sellia obvios habuimus equites numero duodecim, benè armis inſtructos, ex Libertinis ſcilicet prædicti Oppidi Sellie, qui aggratulabundi, porrectis dextris, Nos honorificè ſalutârunt, nobiſque ſe conjungentes, Currus noſtros immediatè præcedendo, unà perrexerunt: poſtea in diſtantia medij milliaris à dicto Oppido, Centum pedites armatos, cum duobus Vexillis bellicis & tympano binos & binos, in occurſum nobis venientes conſpeximus, qui noſtros Currus, parte ex utrâque illo peditatu cingentes, unâque nobiſcum, cum alternâ ſcloporum exploſione gradientes, ad ſæpe fatum Oppidum Sellie, horâ circiter duodecimâ meridianâ, devenerunt: ibi etiam Seniores tam illius Oppidi, quàm aliarum trium poſſeſſionum, ad Dominium Sellienſe pertinentium, Judices & Jurati, circiter Centum & quinquaginta, in bono Ordine conſtituti, nos ſatis honeſtè exceperant: in quorum omnium præſentia, ego, in Area Curiæ illius Sellienſis, nomine ſuæ Majeſtatis, prætitulatos Reverendos Patres, dicti Collegij Tyrnavienſis, in Dominium illud Sellienſe, pertinentiaſque ejuſdem omnes, introduxi, & inſtallavi, ipſiſque de facto, tam prætactum Oppidum, quàm tres poſſeſſiones, illuc de Jure, & ab antiquo ſpectantes, unà

M cum

Digitized by Google

cum cunctis eorum pertinentijs, & utilitatibus, per manus tradidi & aſſignavi. Illâ poſthac die, & ſequenti, propter Ordinationem rerum aliquarum illius Dominij, nos ibidem oportuit commorari: die tamen ſubſequenti, Thuroczium verſus, iter noſtrum acceleravimus, ac tandem decimâ quartâ præſentis Maij ad Clauſtrum Oppidi Varallya, nocte intempeſtâ, horâ circiter decimâ, benè fatigati devenimus, ubi die ſtatim alterâ, ſcilicet 15. Maij, Iudices cum Iuratis, tam Oppidi Varallya, quàm aliarum circumjacentium poſſeſſionum convocatos habui; quorum in præſentia in Area Clauſtri prætacti, Arcem Znio, cum omnibus ejus pertinentijs ab antiquo ad Præpoſituram Beatæ Mariæ Virginis de Thurocz ſpectantibus, & pertinere debentibus, prælibatis Reverendis Patribus, Collegij Tyrnavienſis jam dicti nomine ſuæ Majeſtatis tradidi, & aſſignavi; ipſoſque in reale Dominium illius Præpoſituræ, nullo penitus contradicente, introduxi, & inſtallavi. His itaque rebus, taliter peractis duabus diebus illic ſubſtitimus, & tantiſper quievimus. Die demum 17. præſentis Maij, cum Reverendis Patribus Geordio Dobronoky, & altero Domino Rectore Collegij Poſonienſis, (& reliquis in prætacto Clauſtro Oppidi Warallya remanentibus) Poſonium verſus iter noſtrum direximus; unde quatuor diebus in itinere conſtituti, tandem die 20. Maij, per Dei gratiam huc domum appulimus. Et hęc ſunt, quę breviter, ex Commiſſione Inſtallationis, ad Prępoſituram Thurocienſem, Reverendos Patres Societatis Iesv Collegij Tyrnavienſis, tenore Decreti Cameralis, Illuſtriſſimę, ac Generoſis Dominationibus Veſtris mihi referenda fue-

runt;

runt; quarum, in reliquo, favori, ac benevolentię, me obnixè devoveo.

Illuſtriſs: & Gen: Dominationum Veſtrarum

Servitor obſequentiſſimus

Emericus Ordodi.

Concluſio.

Atque ex his, quæ Tractatu præſenti fuſiùs deducta ſunt, Agnoſcere quilibet potuit, quo quantoúe Iure, Societatis Patres in hoc Inclytum Regnum Hungariæ ſint ingreſſi; quâ morum, ac doctrinæ integritate vixerint; quàm legitimè Iurium, Bonorumque ſtabilium poſſeſſionem acceperint, eandemque (donec per odium & invidiam adverſariorum licuit, licuit autem per annos viginti penè) etiam tenuerint; ac demùm quantumvis poſtmodum poſſeſſionibus ſint exuti, jus tamen ad illas, integrum, nec unquam interruptum, etiam exules conſervàrint. Vnde ijdem Societatis Patres, coram Deo æquitatis omnis, ac Juſtitiæ Supremo Præſide, coram cœlo, & Sole iſto, coram Sacratiſſima Cæſareâ Regiâque Majeſtate, coram Statibus, ac Ordinibus Inclyti hujus Regni, ac tandem mundo univerſo, clamant, & ſolenniſſimè proteſtantur de adeò luculen-

culenta injuria accepta, ademptiſque Bonis, ac Poſſeſſionibus ſuis, quas, ſummo quod in Hungaria haberi poteſt jure habebant, & quo jure omnes omninò Prælati, Barones, Magnates, & Nobiles omnes, ac quiſquis demùm Hungaricæ Nobilitatis Privilegijs gaudet, jura ſua, ac poſſeſsiones accepit; contra fas omne, ac æquum, contra omnia Divina, Humana, Naturalia, Poſitiva, Communia, Municipalia jura, ac Leges, & quod futuris quoque temporibus ipſæ etiam Nationes barbaræ, ac feritate immanes, meritò demirabuntur, ſine crimine, nunquam accuſati, nunquam citati, inauditi, non convicti. O ſi ſententiæ ab ipſiſmet adverſarijs latæ, & quidem eo ipſo tempore, quo Patres Societatis Bonis ac poſſeſſionibus ſuis exuerunt, recurrat memoria, quam in Cauſa tunc Agrienſis Epiſcopi tulerunt, (In reſponſione ad ſextum) dum is pari modo, ac ratione, vel ut verius dicam, ſine ullo modo, & ratione, à nonnullis in exilium mitti poſtularetur. Ratio non dictat (ajebant) cum nemo inauditus, & non Convictus, condemnari, multò minus plecti debeat; ſed ſi contra illum criminaliter procedere exiſtimant, id in futura Diæta, liceat illis, Iuris ordine ſervato, citatione præviâ, coram Statibus, & Ordinibus Regni facere proſequi, (ſi ante Diætam componi non poteſt) ita tamen, ut illi defenſionis ſuæ, quæ Iuris naturalis eſt, aliaque adminicula Iuris, minimè denegentur. Hæc erat veſtra (ſi illam agnoſcitis) vox, Adverſarij Societatis, hæc ſententia; hoc idem nunc quoque eſt Patrum Societatis, imò Bonorum omnium, judicium. Non dictat, non,

dictat

Digitized by Google

dictat ratio, vetant jura, Reclamat Rex, ut quiſpiam inauditus, & non convictus condemnetur; multò minus ut plecti debeat. Cur ergò Societatis Patres, ſententiâ veſtrâ, ſed ſibimet contradicente, ipſis triginta, ſi non ampliùs, annis, Bonis ſuis, Iuribuſque poſſeſſionarijs, expulſi exularunt?

FINIS.

A. M. D. G.

Digitized by Google

Digitized by Google